DE
THEODORI BEZAE
POEMATIS

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

L. MAIGRON

LUGDUNI

APUD A. REY, BIBLIOPOLAM

4, Via dicta Gentil, 4

M DCCC XCVIII



THEODORI BEZAE EFFIGIES

— 1548 —

DE
THEODORI BEZAE
POEMATIS

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

L. MAIGRON

LUGDUNI

APUD A. REY, BIBLIOPOLAM

4, Via dicta Gentil, 4

M DCCC XCVIII

DOCTISSIMO VIRO

MAGISTRO ET AMICO MEO

PH. FABIA

IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI PROFESSORI

D. D. D

DE

THEODORI BEZAE

POEMATIS

PROOEMIUM

Ne quis forte miretur quod, cum in iis quae ad rempublicam aut ad religionem pertineant tantam laudem Beza sibi comparaverit, ejus tantummodo *Poemata*, quae *Juvenilia* appellari solent, perscrutari mihi proposui, cur hanc disserendi materiam elegerim paucis verbis exponam.

Concedo sane Bezae carmina per se ipsa parum digna esse quae nostris temporibus a doctis viris accuratissime legantur, cum ea neque sententiarum neque orationis virtutibus commendentur. Quare ne apud aequales quidem egregius poeta habitus fuisse videtur; nam parva fides adhibenda est iis laudatorum epistolis quae secundae et tertiae editioni praepositae sunt; etenim mos erat sexto decimo saeculo ut scriptores amplissimis laudibus inter se extollerent [1]. Attamen ne erga poetam nostrum nimia se-

[1] *Cf.* laudatoria carmina quae praemissa sunt *Nicolai Borbonii Vandoperani Lingonensis Nugarum libris octo ;* in eodem libro quas scrip-

veritate utamur, quaedam causae sunt, ut postea demonstrabimus. Sed quanquam per se ipsa non magni sunt momenti, ea poemata non prorsus mihi videntur indigna quae cum diligentia quadam considerentur, cum ex iis intellegi praeclarissime possit quanto animi ardore quantoque studio Beza et Bezae aequales antiquas litteras et excoluerint et sint venerati.

Nam primum animadvertendum est ea carmina lingua latina scripta esse. Quid ita? Nonne tum gallicus sermo

sit litteras *Desiderius Erasmus Roterodamus Nicolao Borbonio Vandoperano*, atque haec Mureti et Theocreni carmina.

B. Theocrenus Borbonio suo, Anno M. D. XXXIII.

Deambulanti hoc mane mihi, in cubiculo
Puer meus tua recitavit carmina
Latina Graecaque quae ipse jam antè legeram
Relegeramque, captus pulchritudine
Musae tuae, o Dii, quàm venerabilis Deae.
Mi Borbōni, vis aperiam paucis tibi
Quid sentiam? peream, si quod numeris tuis
Gustaverim unquam mel palato huic gratius.

Francisco Moncaudo Burdigalensi.

Moncaude optime, cui novem sorores
Sertis tempora laureis coronant,
Quem vatem geminus suum Cupido,
Quem vatem genitrix suum Dione,
Spretis omnibus, unicum salutat,
Illos versiculos perelegantes,
Illos versiculos perimpudicos,
Nec castos nimis et nimis venustos;
Molles, improbulos, libidinosos,
Effrontes, pathicos, Catullianos,
Per ludum mihi quos heri dedisti,
Jam, credo hercule, millies relegi.
Ut sunt molliculi! ut fluunt decenter!
Ut spirant Venerem undequaque totam!

Mureti *Epigrammata*.

Non ergo mirum quod Borbonius « de se ipso » scripsit, I, 3 :

Quum laude et fama volitem super aethera, scribens
Nugas : Si scribam seria, quantus ero?

is erat qui sententias aut exquisitas aut graves exprimere posset[1]? At paulo ante Marotus, ut eos praetermittam qui soluta oratione scripserunt, reconditos sensus lingua gallica explanaverat; ex cujus operibus manifestum est, etiam illis temporibus, illam tam divitem fuisse ac locupletem ut poetis amplissimas opes facultatesque praeberet; sed versus latinos potius scripsit Beza quod contemptionis illius non expers fuit quae etiam tum plerosque doctos eruditosque homines in errorem inducebat — nondum enim Ronsardus ejusque amici dignitatem patriae linguae vindicaverant — ut sermonem gallicum latino sermoni imparem aestimarent; quo fiebat ut quicumque antiquitatem cognitam haberet lingua latina in operibus componendis potissimum uteretur. Beza igitur inter eos annumerandus est qui Ciceronem velut perfectissimum antiquitatis ingenium atque exemplum summa admiratione prosequebantur summoque studio omnes imitabantur, quidam vero serviliter, alii non sine aliqua proprii ingenii nota, atque oculos convertebant non ad futura sed ad praeterita saecula. Nobis carmina Bezae diligenti investigatione perscrutantibus apparebit illum servilium imitatorum numero esse adjiciendum.

Quemadmodum nihil est in Bezae Poematis quo Ronsardi disciplinam novitatemque praesentiamus, sic nihil quo Calvinum et reformatam religionem prospiciamus. Attamem cum libellum suum edidit, jampridem Wolmario, ardentissimo renovatae fidei fautore, praeceptore usus erat Beza. Quare mirum est ne minimum quidem in eis carminibus indicium reperiri quo provideri possit nostrum poetam olim fore non solum Calvini assectatorem sed etiam successorem. In suo libello fere nunquam de Deo

[1] *Cf.* Buisson, *Castellion*, I, 262.

loquitur Beza, fere nunquam Christum nominat, sed contra saepius deos Romae obtestatur, non aliter ac si Ciceronis aut Virgilii aequalis esset.

Quanquam igitur *Juvenilia* Bezae magnarum rerum quae, dum vivebat, vel in litteris vel in religione evenerunt nullum testimonium documentumque suppeditant, tamen operae pretium est eis aliquid curae impendere, quia fidelem dilucidamque sexti decimi saeculi, ubi jam dimidia pars ejus praeterita erat, imaginem praebent, praesertim cum nomine auctoris animos nostros in se convertant, qui mox inter praestantissimos aetatis suae viros egregias partes acturus esset.

PARS PRIMA

DE THEODORI BEZAE ADULESCENTIA

Pleraque eorum quae in sua vita notanda essent ac clare cognoscenda quo facilius *Poëmata* intellegerentur, Beza ipse in variis operum suorum locis tradidit, ita ut propemodum satis sit nobis qui non omnia vitae tempora curiose et absolute indagemus, sed id unum tempus quo carmina composuit, Bezam ipsum habere auctorem; neque tamen si quid ab aliis quod in usum nostrum convertere possimus traditum est neglegemus[1].

[1] Hic est index librorum qui maxime ad nostrum argumentum pertinent: *Bezae Tractationes theologicae*, 1570; *Epicedia quae clarissimi aliquot viri et D. Theodoro Bezae clarissimi, etc.* 1606; Bezae, *Histoire ecclésiastique*; Jacques Peletier du Mans : *Dialogue de l'Ortografe e Prononciacion française*, Lyon, 1555, p. 34; Ant. Fayus, *de Vita et Obitu clarissimi viri Th. Bezae*, Genevae, 1606; P. Garasse, *Opera varia*, *Scaligerana*; Bayle, *Dict. historique ;* Schlosser, *Leben des Theodor de Beza und de Peter Martyr Vermili,* Heidelberg, 1809; Faye de Brys, *Trois magistrats français du* XVI[e] *siècle;* Maimbourg, *Hist. du Calvinisme*, III; Jurieu, *Hist. du Calvinisme et du Papisme;* Baillet, *Jugemens des sçavans sur les principaux ouvrages des Autheurs ;* de Thou, *Eloges des hommes sçavans;* Moreri, *Dict. histor.*; Goujet, *Biblioth. poétique;* Lelong, *Biblioth. historique;* Sammarthanus, *Laudationes*, II; — Carré, *de Vita et Scriptis Nicolai Borbonii*, 1888; Berthault, *Saurin et la prédication protestante;* Feugère, *les Femmes poètes au* XVI[e] *siècle;* Dejob, *M. A. Muret*, 1881; Buisson, *Sébastien Castellion;* Brunot *de Philiberti Brugnonii vita et eroticis versibus;* L. Feugère, *Caract. et portraits littér. du* XVI[e] *siècle;* — Eug. et Em. Haag, *la France protestante; Bulletin de la Société de l'histoire du protestantisme français;* de Felice, *Histoire des protestants de France;* Haag, *Vie des protestants illustres;* Vinet, *Hist. de la prédication parmi les réformés de France au* XVII[e] *siècle*, 1860; Sayous, *Etudes littéraires sur les écri-*

Vezeliis igitur natus est[1]. « Anno Domini 1519, die 24. « Iunii, Ioan. Baptistae natalibus sacro, Vezeliis, vetusto « Heduorum oppido, placuit Deo Opt. Maximo ut mundi « lucem primùm aspicerem, P. à Beza eius oppidi praefecto « et Maria Burdelotia[2], utroque, Dei gratia, genere nobili, « (utinam verò potius veri Dei cognitione imbuto) et inte- « grae famae parente natus, et in paterna domo tenerrimè « educatus. »

Sed mater puerum amplexibus et gremio non diu fovit. « Erat mihi per id tempus patruus Nicolaus à Beza in « senatum Parisiensem allectus, caelebs quidem ille, sed « qui fratris sui, id est mei parentis filios ita charos habe- « ret, ut omnes statim domum suam cuperet translatos,

vains français de la Réformation, 1881 ; et ante omnia, J.-W. Baum, *Theodor Beza nach Handschriftlichen...* Leipsig, 1843.

[1] *Tractiones theologicae ;* Epistola ad Melchiorem Wolmarium.

[2] Profecto nobis mirari licet quod epitaphium matris Beza in prima editione Poematum non collocavit.

Mariae Burdelottae,
Matri dulcissimae.

Vixdum vivere coeperam puellus,
Mater, vivere quando desiisti :
Ut te vix ego dixerim parentem,
Vix tu me quoque filium vocaris.
Hinc lustris tibi quinque jam sepulcri
Sub hoc pondere frigidi peractis,
Nunc primùm Aonidum favore fretus,
Heu mater, cineres tuos saluto.
Felix ah nimium futurus olim,
Si natus citiùs forem vel ipse,
Vel tu mortua serius fuisses !

Non minus mirandum est quod epitaphii sororis primos versus sumpsit ab epitaphio quod jam de Pomponio in prima editione ediderat.

Magdalenae a Beza
Sorori charissimae et mulieri lectissimae.

Eheu hendecasyllabi miselli,
Vos (inquam) miserabiles phaleuci,
Vos eheu numeri severiores,
Quaeso...

« et in iis honestissimè educandis nec sumptibus ullis nec « diligentiae parceret. » *(Ibid.)* Quare, avunculo postulante, mater Theodorum Lutetiam perduxit « adhuc a nutricis uberibus pendentem... Id vero, ut saepe audire memini, aegerrime quidem tulit mater, quasi venturi mali praescia, sed tamen mariti imperio obsecuta[1]... » *(Ibid.)* Debili valetudine tunc erat Beza. « Ego interea Lutetiae quamvis summa cura educarer, tamen moriebar potius quam vivebam, perpetuis languoribus ita prostratus ut vix ante quinquennium è cunis proreperem. » *(Ibid.)* Sed non eadem animi atque corporis fuit infirmitas. Contra jam a primis annis se futurum esse eximiae ingenii subtilitatis ac celeritatis probavit. Quo praestantiores hae jam praestantes facultates fierent, suadente amico, Nicolaus Beza nepotem suum formandum instituendumque commisit[2] Melchiori Wolmario « qui tum ludum (Aureliae) selectis quibusdam instituendis adolescentibus aperuerat » et, triginta annos natus, humaniores litteras ac jus civile docebat. Quae Wolmarii doctrina, quae antiquitatis scientia, quae in discipulos auctoritas atque rursus quantus in illum discipulorum amor et veneratio[3], multa docu-

[1] Qui de matre Bezae ampliora scire cupit, *Epistolam ad Wolmarium* legat.

[2] *Cf.* Baum, I, 10 et 4.

[3] *Cf.* Bezae *Poemata*, 59, 62; *Hist. ecclésiast*, I, 10; Sayous, *Etud. litt*, I, 69, 244, 249; Ancillon, *Mélanges critiques de littér.*, 1698, I, 378; Hermingard, II, 280; praecipueque *Epist. ad Wolmarium* Bezae, ex qua haec tantummodo excerpemus. « ... Wolmarium quendam, hominem in Graeca etiam lingua, quod tunc planè novum erat, eruditissimum, et in iuventute instituenda mirae cuiusdam dexteritatis, Nicolai Beraldi et P. Stellae doctissimorum hominum iudicio...

« Ita igitur factum ut ad te pervenirem anno Domini 1528, Nonis Decembris; quem diem ego non aliter quàm alterum natalem merito soleo celebrare. Fuit enim iste mihi profectò omnium bonorum principium quae ab eo tempore percepi, et deinceps in futura vita me percepturum confido.

« Hoc enim vere possum affirmare, nullum esse nobilem vel Graecum vel Latinum scriptorem quem ego intra septennium quo apud te vixi non

menta in carminibus et epistolis cum Bezae tum aliorum habemus. Magistrum Bituriges advocatum a nobilissima

degustarim : nullam ex liberalioribus illis disciplinis, ne Iurisprudentia quidem excepta, cujus saltem elementa te praeceptore non didicerim...

Sed hoc est omnium beneficiorum quae à te accepi longè maximum quod verae pietatis cognitione ex Dei verbo tanquam limpidissimo fonte petita tu me ita imbuisti, ut nisi te non dico pro praeceptore, sed pro parente colam et observem, omnium hominum sim maximè ingratus et inhumanus. »

M. Wolmarii Beza epitaphium fecit et Wolmarii uxoris (*Poemata*, 3[a] ed.).

Meliori Volmario, praeceptori,
et Margaritae, ipsius conjugi, uno
eodemque die mortuis, eodemque
tumulo conditis.

Conjugii exemplum rarum certumque beati,
Spectate cuncti conjuges.
Una dies nobis Meliorem sustulit, una
Et Margaritam sustulit.
Sic uno quos vita thoro conjunxerat, uno
Mors uno tumulo condidit :
Una ambos donec reddat lux unius olim
Beatitatis compotes.

Eidem Meliori

Ni Melior, quo nec melior nec doctior ullus
Nostrum beavit seculum,
Túne jaces, mutique taces sub mole sepulcri?
Et Beza stat, Beza loquitur ?
Stat certè et loquitur : sed cui nec vivere dulce,
Nec dulce posthac sit loqui :
Verum dulce mori fuerit, tecumque sepulcri
Uno latere sub specu.
Namque jacent tecum Charites, jacet ipsa Venustas,
Et omnis Aonidum chorus.

Iisdem.

Quum tumulo lateat Melior Volmarius isto,
Cui Margarita adest comes,
Est illi cur invideas, Mausole, diuque
Celebrata pyramidum strues.
Namque nihil melius Meliore, nec India quicquam
Fert Margarita carius.

Cf. Ibid.

Meliori Volmaro praeceptori.

Ergo placet nostros iterum vulgare furores?

domina Margareta[1] Beza secutus est. Qua in civitate familiares habere coepit illos praestantissimos viros qui postea sive in religione, sive in scientiis, artibus, litteris, maximam gloriam sibi pepererunt, Calvinum, Quelinum cujus epitaphium fecit et ab eo per quadriennium graecam linguam doctus est, Claudium *des Fossés*, J. Amyotum. Credere quoque licet non solum ad humaniores litteras sed etiam ad religionem reformatam Bezam inclinatum esse a praeceptore Wolmario. Sed haec non ad nostrum propositum spectant.

Disciplina igitur antiquorum institutus fuit et imbutus magistrumque jam tum tanta reverentia ac tam grato animo colebat ut libenter eum secutus esset[2] cum, Kalendis maiis anni 1535, Tubingam profectus est, nisi imperante patre venisset Aureliam ut in juris civilis studio perseveraret. Ex eo demum tempore vita Bezae digna est quae a nobis attentius consideretur.

Aureliae tunc doctissimi quidam viri litteras profitebantur praesertimque jus civile, quorum Erasmus praeclarissimus erat. Sed plerique discipuli, remissius agentes neque severiore disciplina constricti, ut fieri solet, non

Ergo semel non est desipuisse satis ?
Sic Volmare jubes : et ego tibi (quaeso) jubenti
Quid tamen justa cum ratione negem?
Quid facerem? quae nos tibi consecravimus olim,
Eripere haec eadem quo tibi jure queam?
Adde quod, ipse tuus quum sit quoque muneris autor,
Haec quum dona petis, tu tua dona petis.
Fama igitur valeat, nos jam nil fama moratur :
Fas, tibi quò placeam, displicuisse mihi.

[1] Marguerite, duchesse d'Alençon.

[2] « Itaque haeserunt mihi semper et adhuc haerent in animo Calendae Maiae, quo die quum à vobis avellerer, et tu quidem Lugdunum, ego Aureliam versus ex patris imperio discederem, memini ac semper meminero nullum unquam diem mihi tristiorem et luctuosiorem illuxisse. » *Epist ad Wolm.*

maximam e doctrina magistrorum percipiebant utilitatem. Quod Aurelianae scholae vitium Beza ipse attigit[1], ipse autem non in primis assiduus ac diligens discipulus videtur fuisse; nam saepe scholae et juris civilis professoribus poetas antiquos praecipueque qui amores cecinerunt, Catullum, Propertium, Tibullum, Ovidium, anteposuit.

« Aureliam igitur, quum iam ageretur annus Domini « 1535, perveni, ut Iuri Civili operam navarem. Ibi vero « quum ab illo studio quod et barbarè et sine methodo illic « tradebatur, nescio quo modo abhorrerem, ita sum illud « amplexus, ut tamen multo maiorem temporis partem in « politioribus literis, et utriusque linguae scriptoribus le- « gendis consumerem. Delectabar autem Poëtices studio « mirum in modum, ad quam naturae quodam impetu « trahi me sentiebam : quae res efficit ut eius academiae « doctissimos quosque mihi coniunctissimos haberem, qui « nunc omnes in Gallia amplissimis honoribus fruuntur : « tum vero me suo exemplo ad politiorum literarum studia « cum Iure Civili coniungenda et poëticos lusus, mirificè « incendebant. Hîc igitur a me intra annum aetatis vice- « simum perscripta ferè sunt omnia illa Poemata quae « aliquot pòst annis edidi et nomini tuo inscripsi, in quibus « etsi nonnulla sunt paulò licentiosius, ad Catulli videlicet « et Nasonis imitationem, scripta, tamen minimè tum « verebar, ac ne nunc quidem vereor ne qui me tum « noverunt qualis fuerim, mores meos ex fictis illis lusibus « aestiment. Sed de hac re postea. » *Epist. ad Wolmarium.*

Inde frequentes patris admonitiones severaeque, immo vehementes et iratae. Indignabatur Petrus Beza, ut semper omnes patres indignati sunt, quod filius seria pro

[1] *Cf.* Baum, 23, 25, 26

jocis, utile pro dulci relinqueret. Patris reprehensionibus acceptis, Beza aliquot diebus diligentius juri civili se tradebat, sed mox, impellente natura poeseosque amore, ad studia quae malebat revertebatur. Quibus ceterum amicis tunc utebatur, ex illis non diligentiae quam pater desiderabat exemplum sumere poterat. Familiares enim et carissimos habuit « Io. Dampetrum, felicissimum hendeca« syllabων poetam, coenobii tum illi oppido proximum « rectorem (cuius obitum postea deploravi), Antonium « Agianthum, Rhotomagensis postea curiae praesidem « primarium, non ita pridem defunctum, Ioannem Tru« chium, Macutum Pomponium, Ludovicum Validum, « adhuc (opinor) superstites, et summis in Gallia digni« tatibus ornatos ; » (*Iuvenilia*, 3ª ed.) Jacobum *Pelletier du Mans*, Martinum, Dionysium *Sauvage*, Dauronem [1]. Omnes hi antiquitatis et poeseos cum veteris tum recentioris amatores incredibili studio quaecumque in hoc genere edita erant a typographis legebant evolvebantque. Marotum et Rabelaesum in deliciis habebant et plerique animo indulgebant, id est versibus componendis, nedum unice juri civili se dederent. Inter quos non minimi aestimatus fuisse Beza videtur. « Studium illud poetices « non modò non deserui, verùm etiam quasi coorta qua« dam inter nos aemulatione, summa contentione sum « persequutus, idque (quod sine invidia dictum sit) adeo « non invitis Musis, ut testibus etiam illis doctissimis viris « (quorum ad me plurimos amantissimè scriptos versicu« los adhuc inter κειμήλια repositos conservo) jam tum in « eo scribendi genere nonnihil praestare posse viderer. » *Iuvelinia*, 3ª ed.

[1] *Cf.* Baum, 57. — Unus ex carissimis fuit Validus, cui multa carmina Beza dicavit. De L. Valido, *cf.* Baum, 30. — Non minore caritate prosecutus est Pomponium Beza. *Cf.* Baum, 82-92.

Forsitan incitaret vehementius etiam Bezam quam ceteros ad exercendam poeticam facultatem quam sibi quidem esse credebat, quod filiae magistri sui, Mariae Stellae, amore juvenili et puro erat accensus; quare quae prima scripsit carmina certum est illi puellae fuisse dedicata [1]. Sed mox Maria mortua est illiusque desiderio non longe consumptus esse Beza videtur. Hortantibus amicis, totum se litteris colendis tradidit. Non idcirco omnino serium studiorum genus neglegebat, cum ad licenciati gradum brevi fuerit promotus. Tum, jussu patris, Lutetiam profectus est.

Quam dissensionem opinionumque discrepantiam adhuc inter patrem et filiam fuisse animadvertimus, eadem permansit etiam per priores annos quibus Theodorus Lutetiae vixit. Vehementius enim quam quum maxime distringebatur inter ea ad quae animi impulsu alliciebatur et ad quae voluntas paterna eum inclinare volebat. Quare nunc hebraicae linguae studio se tradebat — quam profitebatur eruditissimus vir *Vatable* — nunc juri civili, cum incertum sit an « de jure salico » libellum ediderit, nunc litteris [2], nunc voluptatibus. Ceterum non multa accepimus testimonia ab illo de hac aetatis ejus parte; rarae enim sunt ad M. Pomponium epistolae e quibus, si frequentiores essent, perplane cognitum habere possemus quae tum fuerit Bezae ratio vivendi. Sed etiamsi in *Epistola ad Wolmarium* non quaedam inseruisset quae vitam suam illuminant, qualis revera fuerit facile esset intellegere.

Ac primum, ut jam diximus, inter patrem et filium neque

[1] *Cf.* Baum. 28 sqq. — Beza epitaphium P. Stellae scripsit. *Cf.* partem IV.

[2] Contubernales studiorum habuit F. Morellum, A. Turnebum et H. Stephanum. — Quomodo litteras et artes tum Lutetiae profiterentur, nobis ostendunt *Zwinglii opera*, VII; cf. *ibid*, I. 45.

minus frequentes neque minus acerbae dissensiones de jure civili et litteris erant. Progrediente aetate, progrediebatur et Theodori vocatio poetica et aegritudo patris[1]. Ut exemplum afferam, libros qui de jure civili tractabant Aureliae apud amicum Pomponium reliquerat Beza : pater petivit impetravitque ut a Pomponio eos requireret. Sed in illis evolvendis conjicere licet juvenem non diligentiorem fuisse. Ad hoc, ut a seriis studiis divelleretur, voluptatum illecebrae blanditiaeque illum irretitum mox tenuerunt. Nam qua erat aetate, forma[2], divitiis, necesse

[1] Pater filiusque non magna dilectione inter se conjuncti fuisse videntur. — Beza patris postea epitaphium fecit.

Petro a Beza, patri, Vezeliorum praefecto,
mortuo sub initia Gallici prioris belli civilis,
pro tuenda religione exorti.
Ergo etiam extinctus gelidi sub mole sepulcri,
Pater, jaces? jaces, pater?
Nec mihi posse datum misero saltem auribus istis
Audire voces ultimas?
Nec licuit vitae certum melioris ad astra
Votis euntem prosequi?
Non ego, non, eheu, morientia lumina vidi,
Piaque compressi manu:
Altera pro Christo dum me pia cura remordet,
Proceresque distinent procul,
Sorbonicae oppositum contra molimina gentis,
Lupaeque Romanae minas.
Esse pium sic me pietas (mirabile dictu)
Et jussit et vetuit simul.
At tibi, chare pater, quae praesens solvere justa
Charus nequivit filius,
En tandem extincto moestus persolvit, et ipsis
Seris dicat nepotibus.

(Edit. III, p. 111.)

[2] « Fuit Beza statura corporis quadrata, forma conspicuus, valetudine firma, adeo ut quid esset capite dolere se nescire saepe diceret; ingenio summo, judicio accurato, memoria tenacissima, facundia singulari, affabilitate et comitate nulli secundus : adeò ut, propter commemoratas dotes, adjunctâ illis vitae longaevitate (quae tamen omnia erant inferiora summâ doctrina et pietate) quidam vocarent Bezam, aetatis suae Phaenicem. » (Fayus, 67.) — *Cf.* Sayous, I, 248.

erat ut ubique percoleretur atque cuperetur. Praeterea omnino non fieri poterat quin Beza, ut hoc verbum e religione mutuemur, saeculum sequeretur. Illis enim temporibus quasi morum mutatio in pejus paulatim eveniebat. Omnes vel ingenii vel corporis voluptates summo cum ardore et incredibili studio plerique homines percipiebant. Quo magis aetas prior tristis fuerat ac maesta, eo magis haec laeta fuisse videtur et amoena. Jam non multum abest quin mulieres in vita elegantiore primas partes, immo imperium obtineant. Ab omnibus excoluntur quasique deae habentur. Eis servire et blandiri unice volunt, unice cupiunt poetae. Non igitur mirum est Bezam idem quod reliquos egisse dominaeque servum, ut jam aiebant, se praestitisse[1]. Libertatem enim quandam a patre tandem acceperat, e pinguibus beneficiis pinguia sumebat vectigalia[2], maxima denique erat ei facultas ingenio suo indulgendi. Quare et carmina scripsit et dominam habuit.

[1] Has mundi illecebras satis vivide Beza descripsit. Dominus « effecit denique ut ita vitam instituerem, ut singulari quodam ipsius beneficio, quem neutrum mererer, nec pietate postremus inter pios, nec bonarum artium prorsus rudis inter eruditos haberer. Quumque mihi praeter illa impedimenta quae ante commemoravi, triplicem laqueum Satanas circumdedisset, nempe voluptatum illecebras quae sunt in ea civitate maximae : gloriolae dulcedinem, quam ego non parvam, ex meorum praesertim Epigrammatum editione, ipsius quoque M. Antonii Flaminii doctissimi poetae, et quidem Itali, judicio eram consequutus : spem denique maximorum honorum mihi propositam, ad quos ex ipsis aulicis proceribus aliquot me vocabant, incitabant amici, pater et patruus hortari non desinebant : voluit Deus Opt. Max. ut miser ego, et qui sciens ac prudens in hanc viam tam periculosam eram ingressus, tandem ex his quoque periculis evaderem. Primum enim, ne à turpibus illis desideriis superarer, uxorem mihi spondi, sed clàm, id tamen fateor et uno tantùm et altero ex piis amicis conscio, partim ne caeteros offenderem, partim, quòd adhuc non satis possem a scelerata illa pecunia quam ex sacerdotiis, de quibus ante dixi, percipiebam, ut impurus canis ab uncto corio absterreri ». *(Ad Wolm.)* — *Cf.* Baum. I, IV.

[2] Qualis vivendi ratio Bezae tum fuerit explanavit Baum, I, çap. V. — Vide etiam quam epistolam Beza ad Pomponium scripsit, Baum, 91-92.

Quae illa fuerit difficile est certo affirmare ; quo nomine etiam appellari debeat non multo facilius est dicere. Candida et Publia et Hellis — quis enim id non videt ? — poetica tantummodo sunt vocabula. Sed illud maxime refert puellam, vel potius puellas a Beza fuisse amatas, quas in Elegiis et Epigrammatis cecinit, licentius sane quam pudor postulabat ; in hoc tamen quoque saeculum sequebatur praesertimque adulescentiam. Ex quo tamen maximas et gravissimas molestias atque contumelias accepit, de quibus nobis nunc jam erit sermo[1].

Ac primum quaedam interpretationes rejiciendae sunt quarum invidia et injustitia et odium, ut ita dicam, luce clariora sunt. Hic proferre, si non omnes, nam paene infinitae sunt numero neque me nullam earum praeteriisse confido, saltem plerasque liceat e Balduini et Claudii *de Sainctes*[2] et hujuscemodi obtrectatorum operibus excerptas. Sed longa res sit neque multae utilitatis. Omnia haec acerba convicia eo uno inter se similia sunt quod injusta et odiosa. — Candida fuit uxor Bezae, aiunt alii. — Sed quis adeo insanus aut immodestus sit qui de uxore sua loquatur sicut de Candida Beza est locutus ? — Candida erat mulier cujusdam vestiarii quam seductam stupratamque Beza secum Genevam adduxit, exclamant alii. — Sed nonne satis constat Bezam, anno 1544, jam Claudiam Desnoz uxorem sibi spondisse[3] ? Atque illae vehementes affirmationes, quas in tertia *Poematum* editione inseruit,

[1] *Cf.* Sanromualdus, *Abrégé chronologique*, 391.

[2] De Balduino, *cf.* Bezae *Histoire ecclésiastique*, ed. Baum. I, 716 ; *Responsionem alteram ad Calvinum*, 77 ; Heineccium *in praefatione ad « Jurisprudentiam Romanam et Atticam »*, Lugd. Bat. I, 1738 ; *Scaligerana*; Bayle, *Dict. hist.*; et J. Heveling, *de Franc. Balduino; Dissert.* Bonnae, 1871 ; — et de Cl. de Xainctes, Bezae *ad Claudium de Xainctes apologiam primam et alteram*, II, 359.

[3] *Scaligerana* in hoc loco magnos et graves errores praestant : « Bezae prima uxor erat filia advocati... »

nonne quasi sincerum et verum sonant ? Liceat nobis in extenso eas proferre.

« Clamitant boni cacolycae sive apostaticae fidei defen-
« sores, nempe Ecebolius ille Balduinus... et bonus ille
« fraterculus Claudius de Xainctes, Bezam a pueritia
« imbibisse natum impudicitiam et impudentiam, totamque
« aetatem explendis suis libidinibus et cupiditatibus, ac
« describendis suis amoribus (agnoscis, lector, sorbonici
« oratoris δείνωσιν) denique ulciscendis rivalibus suis
« exercuisse : quem etiam in meretricem, in lenam, in
« cinaedum denique transformant[1]... Cedo vero : quibus
« tandem argumentis tam graves isti accusatores nitun-
« tur? Versiculos meos citant... Atqui primùm omnium,
« in tam exiguo libello paucos prae aliis amatorios versus
« invenient, et eos quidem, si paucissima quaedam epi-
« grammata excipias, licenter potius quam obscaenè
« scriptos. In quos etiam age (quandoquidem ita volunt)
« inquiramus. Uxorem mihi ea quam illa tempora fere-

[1] « On indiquerait plus facilement celui des catholiques romains qui l'a traité avec le plus de modération, que celui qui l'a traité avec le plus de colère... Mais je ne crois point qu'il y en ait guère dont l'emportement soit aussi énorme que celui de l'auteur de la Doctrine curieuse... Il en fut publiquement censuré par un auteur catholique : l'affront lui en demeure tout entier ; mais il n'en eut point de honte. » (Bayle, *Dict. hist.*) — « Th. de Bèze qui avoit appris la Theologie dans les Priappées et dans les Hendecasyllabes de Catulle... » *(Doctrine curieuse...)* Idem Bezam appellat « idiot, butor, buffle », loquitur de sua « stupidité, stolidité » et eum accusat quod detraxit « une cuillier d'argent ! » Idem Garasse, *ibid*, 289, appellat Bezam *tropicum capricorni* Calvinumque *tropicum cancri*, « car l'un avoit des chancres dans la teste, et l'autre monstre par la déposition de sa Candide qu'il portoit les enseignes du Capricorne ». Non minus vehementer amici Bezae conviciatoribus respondebant. Cf. *In Bezomastigas.*

Bezam persequitur superba turba,
Bezam persequitur proterva turba, etc. *(3ª ed.)*

De illis moribus *cf.* Nisard : *les Gladiateurs de la République des Lettres*, et Burckhardt, I, 3ª p. cap. XI.

« bant ratione... quatuor circiter annis ante voluntarium « meum exilium despondi : genere quidem imparem, sed « ea virtute praeditam mulierem cujus me paenitere ab « eo tempore minime oportuerit. At istos bonos viros non « pudet quicquid de poeticae Candidae amoribus lusi (lusi « autem certè pleraque, veteres illos imitatus, priusquam « etiam per aetatem, quid istud rei esset, intelligerem) ad « castissimam et lectissimam faeminam accommodare. Id « autem non aliter se habere quam dico, non ii tantùm « testari possunt quibuscum per id tempus vixi, verum « etiam res ipsa declarat : quum nullos unquam liberos « ex uxore susceperim, in meis autem illis carminibus, « Candidam praegnantem superis commendem : quod tum « mihi nimirum illud ficticium argumentum, ut alia « subinde multa, occurreret[1]... »

Ex omnibus vero Bezae conviciatoribus nullum invenias qui, ut hanc apologiam refelleret, argumentis severis gravibusque calumnias suas confirmare potuerit. Vehementer enim et acriter Bezam corrodunt et dente tenaci dilaniant; sed quae maledicta in illum conjiciunt nemo fortiter probat. Licet igitur omnia haec negligere et de Bezae Poematis idem ferre judicium quod Ancillon tulit, ut illum solum nominem ex omnibus qui nostrum poetam defenderunt[2].

« Je vous avouë que je trouve fort étrange que des gens sçavans et de bonne foy reprochent à Beze ces *Juvenilia*, et en tirent des conséquences désavantageuses à sa personne, à sa mémoire et à ses autres ouvrages ; Car I. Tout

[1] Eandem vehementiam eandemque sinceritatem deprehendere licet in Bezae *ad Claudium de Xainctes apologia altera*, II, 214, 359, 360 ; et *ad Fr. Balduinum*, II, 213.

[2] *Mélange critique de littérature*, Basle, 1698, I, 388 et 395; Sayous, *Etudes littéraires sur les écrivains français de la Réformation*, Paris. Fischbacher, 1881 ; et Bayle, *Dictionnaire philosophique*.

le monde convient que dans ces *Juvenilia* il y a d'excellentes pièces qui n'ont rien de trop libre ni de choquant, 2. Ces *Juvenilia* ont esté faits dans une grande Jeunesse, Beze n'avoit alors qu'environ vint ans; 3. Qu'on voye la fin de l'Épitre que Beze adresse à Wolmar... Après tout il n'y a rien dans ces *Juvenilia*, ni de si profane, ni de si scandaleux que la lecture en ait dû estre interdite, et la publication défendue par les magistrats, ni par l'Église, au contraire on en a fait diverses Éditions avec privilège ; et M. Pasquier nous apprend sur la fin du chapit. II du liv. VII de ses Recherches, etc., que Beze pendant sa Jeunesse fit divers Poëmes François et Latins qui furent très favorablement reçus par toute la France, et singulièrement ses Épigrammes Latines dans lesquelles il célébroit sa maîtresse sous le nom de Candide. Quoi donc, parce que Beze n'a pas esté aussi sérieux et aussi grave dans sa plus tendre Jeunesse qu'il l'est devenu depuis dans un âge plus avancé et lors qu'il a esté plus meur, tout ce qu'il aura fait ne vaudra rien ? Le raisonnement de M. Teissier sur ce sujet est excellent. *Il composa* (dit-il), *ces Juvenilia avant qu'il eust atteint l'âge de vint ans, et ayant bientôt après renoncé à tous les plaisirs du monde, il condamna lui même ces Poësies et fit ce qu'il pût pour les supprimer*[1]. *Depuis il donna un Employ plus honneste*,

[1] Ie confesse que de mon naturel i'ay tousiours pris plaisir à la poesie, et ne m'en puis encores repentir : mais bien ay-ie regret d'avoir employé ce peu de grace que Dieu m'a donné en cest endroit, en choses desquelles la seule souvenance me fait maintenant rougir. Ie me suis donques adonné à telles matières plus sainctes, esperant de continuer ci apres : mesmement en la translation des Pseaumes que i'ay maintenant en main. Que pleust à Dieu que tant de bons esprits que ie cognoy en France, en lieu de s'amuser à ces mal-heureuses inventions ou imitations de fantaisies vaines et deshonnestes (si on veut iuger à la vérité) regardassent plustost à magnifier la bonté de ce grand Dieu, duquel ils ont receu tant de graces, qu'à flatter leurs idoles c'est à dire, leurs seigneurs ou leurs dames, qu'ils

noble à sa muse... Et ainsi il est visible qu'on n'a pas de raison de lui reprocher une faute qu'il a si glorieusement réparée, de même que l'on ne peut point sans injustice priver St Augustin de la gloire que son savoir et sa piété lui ont méritée, sous prétexte qu'il a passé les premières années de sa vie dans le libertinage et dans la débauche. »

Difficile mihi videtur in hoc gravissimo argumento majorem praestare justitiam atque prudentiam. Nonne enim satis apparet Candidam fuisse Bezae quod et Borbonio Rubella — ut aequales tantummodo proferam — et Mureto Paula, Gallia, Phyllis, Margaris fuerunt? Quare quae de Borbonio scripsit vir doctissimus[1], ea libenter in mea tranferam sicque mihi concludere placet : « Inclinat animus ut existimem *Bezam* amori duntaxat poetico indulsisse. Quot enim doctissimi viri, sexto decimo saeculo, latinos elegiacos imitati secutique, lasciviore musa fictos celebraverunt amores nec idcirco minus graves et sapientes apud aequales habiti sunt! Illud fieri potest ut *Beza*, qui Catullum diurna nocturnaque manu versaverat; Lesbiam voluerit habere suam et quandam sibi delegerit amicam quam versibus, insciam vel consciam, sub ficto nomine *Candidae*, cecinerit. »

De illa autem horrenda accusatione qua inimici Bezae

entretiennent en leurs vices par leurs fictions et flatteries. A la vérité il leur seroit mieux seant de chanter un cantique à Dieu, que de Petrarquiser un sonnet et faire l'amoureux transi, digne d'avoir un chaperon à sonnettes, ou de contrefaire ces fureurs poetiques à l'antique, pour distiler la gloire de ce monde, et immortaliser cestuy-ci ou ceste-là : choses qui font confesser au lecteur, que les auteurs d'icelles n'ont pas seulement monté en leur mont de Parnasse, mais sont parvenus iusques au cercle de la Lune. » (*Abraham*. Aux Lecteurs.) — Quam graviter et vehementer Bezam paenituerit Poematum, dilucide indicant et praefatio tertiae editionis et *Epistola ad Wolmarium*. — *Cf.* quoque Faium, 69.

[1] Carré, *de Vita et Scriptis Nicolai Borbonii*, 1888. — De eis moribus poetarum XVIi saeculi, *cf.* infra (partem III).

tentaverunt inquinare amicitiam quam semper cum Audeberto exercuit, eadem dici possunt. Crimen contexitur, minime probatur : nullum est igitur crimen, ut clare illustravit Baylius. « Si le fait en question est de nature à pouvoir être prouvé authentiquement, et si les Accusateurs ne manquent ni de bonne volonté, ni d'industrie, il faut conclure que, lors qu'ils ne prouvent pas, ils sont calomniateurs... Voici le précis de tout mon Raisonnement. Le fait est d'une telle nature que, s'il étoit véritable, les preuves juridiques et authentiques ne manqueroient pas. Les accusateurs ont toute l'adresse et toute la capacité qui sont nécessaires pour trouver ces preuves. Ils ont le plus grand intérêt du monde de les trouver. Ils ne les ont pas trouvées : c'est parce, faut-il conclure, qu'il n'y en avoit pas. Il n'y en avoit pas : c'est parce, faut-il encore conclure, que le fait en question était chimérique[1]. » Sed de omnibus illis turpissimis rebus hactenus.

Igitur Beza fervido et acri ingenio studiorumque poeticorum amantissimus atque a severioribus curis jam liber, interdum quaedam carmina scribebat, ut tempora aut voluntas postulabant atque invitabant, quae amici familiaresque legebant et fere omnes admirabantur. Ea per manus currebant, et mox nonnullis visa sunt digna quae typis mandarentur. Scilicet hoc omni tempore juvenes allexit quae scripserant in lucem produci. Nostrum verisimile est non diu firme restitisse amicis hortantibus praecipueque magistro et doctissimis viris suadentibus, e quibus

[1] *Dictionnaire philosophique.* — Eodem loco historiarum scriptorem Mézeray, et jure quidem, maxima cum severitate reprehendit et vituperat Baylius : « C'est la conduite la plus indigne qui se puisse d'un historiographe aussi célèbre et aussi illustre... » Nimia enim facilitate Mezeray probavit crimina quae inimici in Bezam intulerant. — Beza vero ipse quanto horrore illam abominandam accusationem repulerit, testis est *Apologia altera ad Claudium de Xainctes.*

J. Camerarius fuit praeclarissimus. Quare quaedam collegit excerpsitque e multis quae scripserat et tradidit amicis magistrisque emendanda et eligenda : sic *Poemata* nata sunt[1], quae recte atque sine ambiguitate verborum appellari *Juvenilia* possunt. Nam intra vicesimum atque quintum et vicesimum annum scripta esse credibile est; Bezam vero tunc omnium nondum ingenii facultatum fuisse compotem vel quivis rudis litterarum perspicere potest et nos pro virili quidem parte explicabimus ac demonstrabimus. Aequales ipsi, quamvis facile sit testimonia quorumdam litteratorum producere qui libellum cum gratia et favore acceperint[2], non maxima admiratione in *Poemata* commoti

[1] Qua occasione *Juvenilia* sua ediderit Beza ipse narravit : « Tantum enim aberat ut ea, si quando effudissem, apud me reponerem, ut contrà, quum illa edere constituissem, partim ex memoriae penu mihi fuerint depromenda, partim ab amicis emendicanda. Occasionem autem editioni praebuit in primis Melioris illius, praeceptoris quondam mei, cohortatio : ad quem Tubingae, in illustrissimi principis, ducis Wurtembergensis, ditione ius civile profitentem, quem fortè nescio quid istorum misissem, (scribebam enim ad eum saepe, ut gratum discipulum facere oportuit, et ille me vicissim in filium semper est complexus) non destitit donec pervinceret ut meas illas nugas, velut in fasciculum temerè congestas, ipsius nomini consecrarem. Reversus enim Aurelia Lutetiam, ibique velut in gymnasio totius orbis florentissimo, nactus quibuscum in omni studiorum genere me exercerem, prout sese variae offerebant animi à gravioribus studiis relaxandi occasiones, quaedam praeterea eiusmodi scriptitaram : ita quidem (absit verbo invidia) doctissimis illius academiae hominibus, quos amicissimos habebam, comprobata (cuiusmodi tum erant, Ioannes Stracelius, Adrianus Turnebus, Georgius Buchananus, Ioannes Tevius, Antonius Goveanus, Mellinus Sangelasius, Salmonius Macrinus), ut eos meminerim, quum Francisci secundi Genethliacon scripsissem, uno consensu primas in epigrammate scribendo ultrò mihi tribuisse. Tum igitur mihi nescio qua inanis gloriolae spe ducto, partim praeceptoris de me optimè meriti desiderio satisfacere vel maximè cupienti, excidit libellus ille : sic et à meis Gallis et ab Italis etiam ipsis exceptus, ut illorum quidem gratulationes accipere me puderet : istorum verò qui facile praestantissimus habebatur M. Antonius Flaminius, in hanc etiam vocem erumperet nunc sese agnoscere, Musas superatis Alpibus in Gallias penetrasse. » *(3a edit.)*

[2] *Cf.* Pasquier, *Recherches*, VII, cap. 2, p. 649 ; et *Poemata Varia* Bezae, *praef.* 1597 ; Baillet, *op. cit.* etc.

esse videntur, Bezaque nos certiores fecit se a nonnullis amicis per jocum et lepide « novum philosophum » appellari. Primo carmina Bezae Lutetiae edita sunt Conrado Badio, anno 1548 [1]; post unum et viginti annos ea iterum edidit H. Stephanus, quibusdam Buchanani carminibus additis, anno 1569 ; Beza ipse jam senior permisit sua Poemata emitti tertia editione « partim recognita, partim locupletata » apud Stephanum, anno 1576 [2]. Item non indignae sunt quae nominentur editio quam Beza etiam curavit anno 1597, praecipueque illa quae, anno 1599, excudebat Jac. Stoer. Denique commemorandum est Bezae *Poemata*, simul cum Mureti *Juvenilibus* et Joannis Secundi *Juvenilibus* et J. Bonefonii carminibus accuratissime edita esse anno 1757 Lugdini Batavorum.

Vix operae pretium est admonere, cum jam in eo sit ut de Bezae Poematis disputemus, nos hac sola editione usos esse quam « Lutetiae, Roberto Stephano Regio Typographo, et sibi Conradus Badius excudebat, idibus Julii. M.D.XLVIII » et eam editionem principem nominant.

[1] In altera pagina effingitur Beza, in manibus coronam gerens. Haec carmina sub imagine leguntur :

> Vos docti docta praecingite tempora lauro :
> Mi satis est illam vel tetigisse manu.

quae Colomiès nos docet sic a patre suo translata esse :

> Vous, Doctes, ceignez-vous le front
> D'un beau laurier fait en couronne :
> C'est assez qu'Apollon me donne
> D'en toucher seulement le rond.

(Bibliothèque choisie, 286.)

[2] « Quispiam fortasse (nec id immeritò) mirabitur me hac aetate hominem, gravioribus studiis deditum, cui praesertim prima istiusmodi versiculorum editio tam infeliciter cesserit, nunc veluti repuerascentem, non modò veteres illas nugas tanto intervallo repetere, verùm etiam veluti novo stultitiae auctario cumulare. Quid hoc igitur rei fit, paulo plenius explicandum arbitror : ut quorundam maledicta diluam, ac fortassis etiam sequuturis aliorum calumniis occurram. » *(Praef.)*

PARS SECUNDA

DE SYLVIS

Quae in scribendis versibus fuerint Bezae virtutes, vel potius quae vitia jam e quatuor ejus sylvis praeclare illustrari potest. In prima enim et in secunda, quasi innisus Tito Livio et Plutarcho et Valerio Maximo, poetice amplificat quae ab illis mutuatus est; in tertia autem et in quarta, lingua latina sententias christianas explicat, ita ut in illis res et verba, in his non res quidem, sed verba tamen antiquorum sint. Igitur sive a veteribus solum petit quomodo dicturus sit, sive et quomodo simul et quae, facile est compertum habere Bezam non aliud esse existimandum quam discipulum et tironem, diligentem quidem, vel, si malueris, diligentissimum, sed discipulum tamen et tironem qui non procedere audeat nisi alieno fultus auxilio semperque imitetur etiam cum ex se ipso videatur expromere quae explicet.

E prima sylva quantum a sincero et gravi scriptore distet frigidus declamator intellegere dilucide licet. Nihil enim dissimilius esse Livio quam Bezam judicaveris, sive ad propositum, sive ad rerum dispositionem, sive ad genus dicendi animum adverteris. Livius propositum habuit rem omnium saeculorum veneratione dignissimam sic narrare ut, quibus ipse affectibus commotus esset, iisdem alii commoverentur summamque admirationem cum lectoribus communicaret non solum Decii, sed

illius quoque reipublicae cujus cives amore tanto flagrarent ut sponte pro patria vitae suae jacturam facerent. Itaque dispositione rerum usus est recta atque, ut ita dicam, sincera et proba. Neque redundat neque diffunditur narratio; omnia simplicitatem, pietatem et quendam horrorem religiosum spirant. Necesse autem erat genus dicendi laudes easdem prae se ferret. Gravis est Livii, vel etiam severa narratio; candore, modestia, ingenuitate splendet, in qua tamen inest quaedam austeritas; nihil insolens praestat, nihil apparatum, nihil inflatum; omnia contra remissa sunt et placata; ita ut illud jure dici possit hanc esse expositionem praeclarissimi civis romani qui majestatem romanam magnifice celebraverit. Beza vero nihil aliud propositum habuit nisi ut ingenio suo indulgeret ex eoque Livii loco egregiam depromeret declamationem. Quare quod a scriptore romano sumit adeo immutatum reddit ut omnia perturbata sint vixque agnoscere possimus quemnam sit imitatus. Primum, quamvis in carmine Bezae Decius primas occupet atque, ut ita dicam, clariore positus sit in lumine quam in Livii narratione, multum abest ut eadem admiratione nos commoveat[1]. Nam inesse in hac sylva quandam levitatem sentimus poetamque non graviter et serio tractare rem cum gravem tum severam

[1] Quaedam mutavit et emendavit Beza in tertia *Poematum* editione.

3. Subsidium est : patriae Decius quum totus amore
Fervidus et geminas tendens ad sidera palmas.
10. Dixerat, interea victor fugientibus hostis
Imminet, et trepidi nutant hinc inde quirites.
27. Si qua premit patriam nemesis, nunc vincere Romam
Crimina si qua vetant, Decius luat omnia solus.
33. Ominor ecce fugam moriens mortemque Latinis.
35. Qualis post noctis tenebras fulgore corusco
Emicat et totum illustrat sol aureus orbem,
Talis equo insiliens Decius sublimis habenas...
43. Consulis attoniti facto. Iam terga Latinus.....

minimeque de majestate reipublicae romanae curasse, in hoc uno occupatum ut venustate et vehementia cum Virgilio, subtilitate et acumine cum Statio certaret. Non igitur mirum est quod dispositionem propriam adhibuit quae neque simplicitate neque gravitate valeat. Omnia trepidare, fervere, aestuare videntur. In medias res, ut aiunt, lectorem jam ab initio rapit :

Jam Romana acies verti, jam cedere laevo
Coeperat in cornu virtus Romana, nec ullum
Subsidium est retroque omnis spes lapsa referri,
Quum geminas Decius tendens ad sidera palmas.
Quo ruitis ? dixit.

Decius enim non aliter loquitur atque heroes epici solent. Huc atque illuc se confert, precatur obtestaturque milites :

Quos Consul sistere voce
Non potui, dixit, revocabo morte.....
Ergo age sacrorum o custos, concepta profare
Carmina.....
Sanguine quaeratur victoria, sanguine nostro
Placentur saevi Manes, placetur Erynnis.

Inest in omnibus quasi quaedam trepidatio quam certe Beza pro summa veritate habuit. Non alia est causa cur tam longe produxerit verba quibus Decius sese « pro legionum salute » devovet :

Sublimes ducant Romani ex hoste triumphos.
Interea, Collega, aciem patriamque tuere :
Indubiam ipse fero mortemque fugamque Latinis.

Illa devotio nescio quid insolens et magis tragicum adhibet mirabilemque gravitatem Livii Beza inquinavit. Eadem de Sylvae fine dici possunt, et in illis versibus tranquillam severitatem, ne dicam majestatem, scriptoris

romani desideres. Intellegere facile est quae istius modi declamationis futura sint vitia. Quo sincerior et candidior et, ut ita dicam, tristior fuit Livius, eo magis inflatum turgidumque Beza se praestat; hic simplicitate valet, ille elaborata concinnitate; scholasticus ille, hic historicus. In Sylva enim, Decius non aliter atque in ludo loquitur aut auditorio:

> Unde fuga haec? unde iste timor? vos cedere notis
> Hostibus et toties victis dare terga Latinis?

Verba verbis colludit Beza, subtilisque more cujusdam rhetorum disciputi contraria contrariis opponit:

> Deserta fugiunt *trepidi* statione Quirites.
> Ille autem *intrepidus* : « Quos Consul *sistere* voce
> Non potui, dixit, *revocabo* morte.....
> . . . .
> Instant *victori victi*.....

Omnem operam dat ut narrationem Livii remissam et placidam, rectam et probam, efficiat concitatam et fervidam atque, ut ait Cicero, calamistris inurat. Ineptissimis comparationibus sanctitatem materiae corrumpit et inquinat:

> .....Faciem lux protinus occupat ingens,
> Qualis post noctis tenebras quum Thetide Phoebus
> Deserta illustrat splendenti lumine terras :
> Talis hic insiliens in equum sublimis, habenas
> Laxat.....

ideoque in universum ea Sylva mediocris est et reprehendenda.

Quae omnia vitia clarius apparebunt in Sylva secunda « de morte Ciceronis ». Auctores Bezae fuerunt — quod ipse nos docet — Livius, Plutarchus et Valerius Maximus.

Materies ipsa cum abundantior et locupletior erat, tum large suppeditabat unde explicaretur augereturque. Livius quidem modestior est et, ut ita dicam, jejunior. Mortem profecto Ciceronis narravit ut qui maxime illam lugeret vehementique et admiratione et desiderio maximi Romanorum oratoris affectus esset; gravitatem tamen nimiam quasi ex industria prae se tulit; vix etiam quae necessaria sunt dicit; illum credas ab atroci isto spectaculo abhorruisse; qui autem fuerit Tullius, quod ingenium, quae virtutes, quae animi interdum mollitia ac defectio, clarissimo in lumine ostendit; maxime severus est et quasi maestus ille apud Livium locus. Plutarchi relatio fusior est interdumque luxuriosa. Quae fecerit Tullius pridie mortis, quae senserit, quae secum cogitaverit, quae sinistra praesagia illi mortem praenuntiaverint, omnia illa satis superque Graecus memoravit; redundat et superfluit; vel minima quaeque in narrationem suam admittit : corvos advolavisse in cubiculi fenestram unumque rostro pertinaci togam, qua Cicero vultum suum velavisset, detraxisse, atque hujuscemodi alia; et — quod quidem melius est — quomodo Popilius cum manu militum, fuga Ciceronis nuntiata, eum deprehenderit, quomodoque maestis omnibus et vix lacrimas retinentibus Herennius jugulaverit; ita ut, quae in illa re lugubri inest, miserationem narratio ipsa postremo in se admiserit.

Si quaerere voluerimus quemadmodum Beza illo argumento illisque exemplis sit usus, reperiemus etiam in hac Sylva inepte eum explicavisse quae aut leviter attingenda aut etiam silenda essent rursusque saepe omisisse quae explananda et illustranda. Sicut in prima, omnia ea consilio ordinata sunt ut res major videretur aut sublimior aut miserabilior ; omnia aucta sunt et inflata, idque contrarium sane argumenti naturae et indoli consecutus

est, ut turgidus minimeque serius atque admodum ridiculus esse videretur.

Ut abstinere non potuit quin Decium verba immodeste fundentem effingeret, quamvis res et tempus minime postularent, sic Tullius apud Bezam id prorsus oblitus est, cujus tamen re vera ut nemo peritus erat et callidus, quid in quoque tempore deceret, quid non. Ac primum tragica inflatione quadam narratio laborat :

Ergo ut ventorum rabiem pelagique furorem
Indomitum aspexit, fatis heu poscitur, inquit,
Poscitur infelix Cicero.

Neque tamen sine solertia et gravitate Beza ostendit mare et elementa ipsa quasi conjurata in Ciceronis perniciem :

.....diuque
Obnixi saevos pelagi transcendere fluctus,
Omnia laxarunt iratis carbasa ventis,
Et tandem incolumem statuerunt littore proram.

Eodem modo illa quae protulimus :

.....Fatis heu poscitur, inquit,
Poscitur infelix Cicero,

quaeque sequuntur :

.....convertite vela
Et me vicinae moriturum reddite ripae,

quamvis ad personam tragicam aptius pertinerent, non admodum inepta sunt. Sed quid nos istae sententiae et verba commovent ?

Scilicet has grates gladiis erepta tuorum
Patria persolves ? moriar, sic numina divum,
Sic voluere dei, servata ut Consul in urbe
Tullius intereat. Nec plura effatus, ab imo
Corde trahens gemitus memoratae ad nomina Romae,
Imbre oculos lachrymisque genas implevit obortis.

Quanto simpliciora sunt et eloquentiora ea quae Livius scripsit : « Moriar in patria saepe servata.» — At, dicat aliquis, ista naturam et mores Tullii praeclare demonstrant illuminantque hanc superbiam et vanitatem de qua tam saepe gloriatus est. — Fateor equidem ; sed rursus quis non concedet omnibus temporibus non omnia, etiam cum vera sint aut verisimilia, convenire? Item quis ferat illum Tullium, de quo tam graviter Livius scripsit : « omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit praeter mortem », in Bezae Sylva esse inductum, « ab imo corde gemitus » trahentem lacrimasque et querelas fundentem non aliter atque mollissimam quamdam mulierem ? Sic omnis illa admirabilis mortis Tullianae imago vitiata est et infucata, difficileque videri potest rem per se ipsam et gravem et elatam et miserabilem declamatoriis verbis sententiisque foedius atque turpius inhonestari ac deformari.

Quae sequuntur non majoris sunt pretii. Beza voluit nos summa pietate et misericordia in Ciceronem afficere idque tantum consecutus est, — quod antea diximus — ut ipse frigidus esset ideoque nos minime moveret :

> Descendit maestus Cicero multoque labore
> Membra trahit confecta senex. Simul undique magna
> Circunstabat herum servorum turba.....

Plutarchus fusiore modo, et recte, illum locum explicavit. Non adeo erat senex Tullius, cum tres et sexaginta annos esset natus, sed tum vigiliis, fuga, aegerrimis sollicitudinibus fessus et obrutus erat : quae misericordiam et dolorem lectori certissime afferre possunt. Ut jejunus et siccus est Beza cum res ipsa quandam ubertatem poscit, sic nimis est abundans cum brevem et concisum et rapidum eum esse deceret :

Circunstabat herum servorum turba, periclis
Nec nimium stupefacta suis, nec tempore duro
Pollicitam fractura fidem : pars apparat enses,
Pars domino assistit, caecaque ambage viarum
Lecticae impositum ducunt..,..

Paene haec infinita sunt ; sed ubinam gentium reperiatur is declamator qui sponte sua occasionem vitaverit unde descriptiones mirificas — sua quidem existimatione — expromere posset ?

Item quam frigida est illa comparatio oratoris magnifico apparatu et specie causas in foro defendentis reosque servantis cum proscripto Cicerone tristem servorum paucorum manum, pavidamque et trementem, tantummodo habente ! Sed nihil putidius, nihil horridius esse potest hoc loco. Ense stricto, Herennius adest. Apud Livium satis illa per se eloquentia sunt : « Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. » Haec est venusta simplicitas ideoque mirabilior. Apud Bezam Tullius meminit se quondam fuisse oratorem facundissimum omnium quos Roma unquam audierit ; itaque perlonge et insulse disserit ac queritur, ut olim regina Dido super rogum, sed non antequam haec incredibilia secum cogitaverit :

Quid faciat? num forte manus protendat inermes
Aut mercede petat veniam? num flectere verbis
Defensi quondam conetur militis iras?

Quae tam indecora sunt ut Beza ipse quodam modo ea damnaverit eorumque ipsum poenituerit :

Haec aetas virtusque vetant, et pectore in alto
Fixus amor patriae Romaeque cadentis imago.

Sed quanto satius esset Tullium ne expressisse quidem ea quae non modo inutilia, sed etiam inhonesta sint!

Denique suprema necessitas adest. Compertum habemus Tullium fortiter et viriliter eam necessitatem accepisse. Sed non haec discipulo admodum juveni et rudi satisfacere potest simplicitas. Quare Cicero, stoicorum superbissimorum modo « immeritam in mortem plenis currit habenis », non adeo tamen rapido cursu effrenatoque impetu ut intercludatur spiritus, nam largos quaestus illos fundit :

Bruti Cassique beatae
Vivite vos animae. Quod si non omnia nobis
Fata nocent, forsan nec nos moriemur inulti.
Iam vixi mihi Roma satis, nec vita vereri
Acta vetat nigrae damnosa oblivia mortis.
Occidite, at noscent venturi cuncta nepotes,
Æternamque dabunt morienti haec funera vitam.
Immo (aut fallor ego et frustra tibi Roma creatus
Augur eram quondam) non semper amica favebit
Antoni Fortuna tibi, civesque peremptos
Tempus erit victrix a te quo Roma reposcat.
Me juvet interea speratum invisere caelum.

Nimirum sit difficile imitationem Virgilii invenire aptiorem idcircoque mirabiliorem !

Finis Sylvae decentior et brevior fore videbatur cum Bezae in mentem venit ut deos, quemadmodum in epico carmine fieri solet, introduceret Phoeboque quasdam in narratione partes tribueret :

Morientem vidit ab alto
Invitus caelo Phoebus piceaque refertur
Nube caput texisse diu.

Magis decorum fuisset in ea re Bezam abstinuisse praeclarissimi quidem « de morte Caesaris » Georgicorum loci imitatione. Et illa Pitho quam ridicula procedit ! — Sic argumentum nobile, grave, pulchrum, Beza ridiculum et inquinatum effecit. Melchiori quidem Wolmario et J. Camerario utraque, de quibus diximus, Sylva admirabilis

videri potuit omnique modo digna quae typis mandaretur ; nobis contra mediocres videntur, sine arte et veritate atque simillimae illis declamationibus quas apud nos scribere nuper discipuli solebant, cum versuum latinorum cultus etiam floreret[1].

Quae de prima et secunda Sylva diximus eadem nullo modo in tertiam et quartam transferri possunt, non quod egregias et insignes virtutes haec carmina demonstrent, sed quia Beza lingua et versibus antiquis, non antiqua solum, sed etiam non profana tractat numerisque et modis latinis christianas explicat sententias.

Ex perpaucis litteratis qui de his duabus Sylvis judicium fecerunt, Sayous, mea quidem sententia, maxime fuit indulgens nimiaeque benevolentiae, qui dixerit[2] : « (Bèze) se trouvait sans doute dans une de ces heures d'extase religieuse qu'il avait connues dans le ménage allemand de son précepteur, alors qu'il était partagé entre la piété fervente que lui communiquaient les deux époux et le culte quotidien de l'antiquité poétique. C'est un mélange naïf d'idées chrétiennes et de réminiscences mythologiques, mélange d'ailleurs assez commun en ces temps de renouvellement littéraire et religieux. » Nobis contra cavendum erit ne severiore judicio utamur. Sed, ne in malignitatis periculum incurramus, ante oculos sit nobis magis atque magis propositum Bezam admodum juvenem fuisse cum illa carmina scriberet quae M. Wolmario certe dedit emendanda et expurganda. Praeterea, quamvis in illis Christi Natalibus multa nobis videantur admodum inexpectata et inaudita, nos memores esse decet non multum Bezam differre a ceteris ejusdem aetatis scriptoribus qui

[1] Non operae pretium est proferre quae in tertia editione emendata fuerint in ea sylva.

[2] I, 279, *op. cit.;* cf. *ibid*, 275 et 277.

profana cum sacris, antiqua cum recentioribus miscuerint, miro candore quodam et securitate, neque intellegerent quantopere haec permixtio ridicula esset et inepta [1].

A primis statim versibus necesse est in stuporem maximum incidamus. Etenim num illud fieri potest — nobiscum sic enim cogitamus — poetam, qui tum erat certa et sincera fide christianus, quamvis illecebris saeculi jam nimium captus esset, cum puritatem ac castitatem insignem et divinam celebraturus sit, licentioribus vel etiam obscenis verbis et comparationibus uti qualia haec sunt :

Noctem alius laudet misero quae munus amanti
Optatum attulerit facilemque ad vota puellam
Praebuerit, veteris foecunda incendia flammae,
Caeteraque obscenis olim cantata poetis.
At vos pars equidem caeli non infima vates,
Nec divinum animum ad turpes convertite curas
Nec calamos adeo infami exercete labore [2].

Praeterea, quod etiam gravius est et vitiosius, iterum atque iterum culpam redintegrat :

Procul ego Venus, procul este scelesti
Delitiae pueri. Castis tu casta Camaenis
Materies, o Nox, esto.....

Fatemur equidem, ad Venerem redit ut Veneris curas vituperet atque rejiciat; sed quis non videt omnia illa non magis inter se convenire quam si serpentes avibus gemi-

[1] *Cf.* Sannazar, *De partu Virginis.* — De stupenda illa permixtione, *cf.* Buisson, *Castellion*, I, 52.

[2] Posterioribus in editionibus sic mutatum est hoc initium :

Obscaenas alius noctes turpesque tenebras
Infami celebret captans ex crimine nomen :
At tu casta meis potius sacrata camaenis
Materies, o nox, esto, qua virginis olim
Clausa licet sacro patuerunt viscera partu,
Viscera quae caeli tempestatumque potentem....

nentur, tigribus agni? Omnia sic singula, vel infima, per jocum poeticum transferuntur, et quae maxime ab antiquis discrepant, quae recentissima, quae maxime christiana sunt, formam antiquam apud nostrum tanto magis induunt. Ut exempla quaedam afferam, non ex sole orbis terrarum lumen et diem accipit, sed Titan terras illustrat; non ignobiles pastores, quorum ne nomina quidem pia fama nobis transmisit, e collibus Judaeae descendunt ut nascentem deum et regem invisant, sed Tityrus et Damaetas et Ægon, ita ut haec Christi Natalia Virgilianum quiddam redoleant et non Christi, sed filii Pollionis ortum felicem, celebrare et glorificare videantur. Sic semper Christum atque Christi religionem per veteres poetas videt aut, quo clarius dicam, veteres poetae officiunt Christo. Idque vitium adeo penitus insitum est animo Bezae ut, cum memoravit hanc Natalium noctem toto vigilari in orbe piisque ab hominibus faustam atque festam agitari et « applausu » universo « sonare », addere non dubitaverit non orgiis totam consumi qualem

Ædere consuerant, ebrio quum sacra Lyaeo
Insanae facerent matres atque aera sonarent
Semiviri quondam ad Cybeles altaria Galli.

Ne plura, manifestum est Bezam minime pium animum et christianum in illa christiana materia tractanda attulisse atque ipsa Christi Natalia eadem libertate, eadem jocosa et poetica negligentia celebrasse quibus jam mortem Decii Ciceronisve celebraverat. Frigidum in illis Sylvis eum fuisse demonstravimus; in hac frigidior etiam videtur, quod gravius est, et, quod omnium gravissimum, indecorus et turpis. Quam multis tamen variisque modis, qui omnes quidem jucundi, ne dicam vehementes et graves sublimesque fuissent, hoc divinum argumentum explicari

poterat! Quae Borbonius et Vulteius[1] Natalia scripserunt, non certe absoluta sunt et perfecta ; sed tamen puritate et sinceritate quam longe distant ab ista inepta et prorsus ridicula lucubratione declamatoris cujusdam, doctissimi quidem, sed etiam multo magis insani et insulsi!

Jam e Sylva tertia intellegere licet Bezam nihil aliud unquam fuisse nisi mediocrem poetam : e quarta autem illud certissime demonstrari potest tam mediocrem fuisse quam qui maxime. Haec Sylva, ut titulus ipse declarat, eo consilio scribebatur ut esset « praefatio poetica in Davidicos Psalmos quos poenitentiales vocant ». Narrat Beza quomodo David Bethsabes amore peccaverit eumque culpae suae paenituerit et paenitentiam psalmis cecinerit. Nobis jam expertis quale sit Bezae ingenium statim in animum occurrit quibus ornamentis eam materiam decorare et amplificare potuerit[2].

[1] Borbonius, I, 278; III, 99; IV, 20.

[2] Mutationibus quas postea Beza ipse effecit multo clarius apparebunt quam nostris explicationibus quantopere omnia ista mediocria sint et inepta.

Ales Amor (daemon, quo non est certior ullus
Mortales pulchri falsa sub imagine mentes
Fallere, lethalique animos afflare veneno)
Invisae sacras Iudaeae callidus urbes
Venerat : et jam tum magno molimine regem
Fundantem intuitus Solymas feliciter arces,
Progeniemque memor Iessaeo ex sanguine duci
Venturam Satanae excidio, Satanaeque ministris,
Mene (ait) a prima qui victor origine mundi
His homines domui telis, horrendaque seclo
Diluvia invexi (laus est haec nostra) priori :
Cui Ninon, ingentemque incesta Semiramis urbem
Sacravit, nostras testantia maenia vires :
Cui Sodome versa in cineres, ambustaque longè
In tenues abiit regio vicina favillas :
Quo duce mille furens armavit Graecia naves,
Et nunc Troia novem iacet oppugnata per annos :
Qui prius indomitum (quid non mihi foemina praestat?)
Sampsonem insano fregi meretricis amore :
Iessiadae unius non posse abrumpere coepta,

Ac primum, quia eroticum argumentum erat, Beza, omnium eroticorum poetarum more, Amorem inducit orbem terrarum percurrentem[1] :

Forte pererratis caelo terraque marique
Ales amor, sacras Iudaeae callidus urbes
Visebat, pharetraque minax flammataque gestans
Tela manu.

Sed, quantumvis sit deus, id est omnipotens, non secus ac quivis miser viator domicilii eget :

Jamque hospitium sedemque petebat
Venturae nocti.

Cum autem nullum sit Amori domicilium nisi corpus femineum, ille Bethsabes corpus elegit. Et recte quidem, cum nulla formosior et gratior habitatio inveniri potuisset :

Tandem ad Bersabes convertit lumina formam,
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, viridesque oculos frontemque patentem
Purpureasque genas pulchri et discrimina nasi,

Divinisque procul curis avertere mentem?
Dixerat iratus, pharetraque accinctus et arcu,
Tandem ad Bersabes convertit lumina vultus,
Bersabes, qua non formosior altera cunctas
Isacidum populos inter numerata puellas,
Sed conjuncta viro, et mater jam digna videri.
Et mox tam raras...

[1] « On trouvera que c'était là une introduction, au moins étrange, aux chants pénitents de David, mais elle est un reflet assez fidèle de la double vocation qu'avait commencé à développer en Bèze son précepteur, chrétien renouvelé et lettré érudit. Notre poète a raconté ailleurs que, pendant la première guerre de religion, on trouva parmi les reliques de Tours, enchâssée dans une croix, une belle agathe « où se voyait taillée d'un singulier ouvrage la déesse Vénus avec un dieu Mars armé et Cupido entre deux, avec un morceau de bois rouge qu'ils disaient de la vraie croix ». C'est bien là la renaissance enchâssant l'antiquité païenne dans le christianisme ; c'est l'image aussi de la réforme elle-même chez les premiers lettrés qui l'accueillirent, et le *Noël* de Bèze n'est pas autre chose. » (Sayous, I, 279).

Os roseum et flavos per eburnea colla capillos,
Marmoreumque sinum porrectaque brachia longe
Et teretes digitos.....

Nihil igitur mirum est quod

Attonitus tacita secum sic voce loquutus (est) :
Quid vos caelorum formam celeresque rotatus
Sydereosque ignes adeo matrisque Diones
Laudatis, Superi, vultus ? quum barbara caeli
Luminibus Virgo officiat,

atque procul rejecit arma et pharetram et sagittas quae, si non inutilia sunt, graviora tamen esse coeperunt. Quid enim telis et arcu opus est ? Lumina Bethsabes tela, « lunataque supercilii umbra » arcum ministrant. Nemo non fateatur necesse est omnia haec ornamenta valde esse fastidiosa. Sed de sequentibus breviter loquamur. Regi qui uxori Uriae stuprum attulerit graviter Jupiter irascitur. — At, dicat aliquis, Judaeine unquam Jovem adoraverunt ? — Candidus, immo sit stultus quicumque opinetur aut Bezam aut ceteros poetas aequales verisimilia flocci fecisse. Noster autem, quidquid in thesauris poeticis suis reperit, plenis manibus haurit atque profundit neque de illarum opum cum argumento convenientia cogitat. Jovem enim inducit e libris scripturisque sacris causas educentem fideliterque memorantem singula quae Jehovah solum effecisse constet ; proferentem locos Geneseos, Psalmistae, Exodi, Josue, Regum, Ecclesiastae, et Petri ipsius, denique, ne multa, cum Veteris tum Novi Testamenti. Quis tam barbarus tamque « serus studiorum » sit ut ex illa epitome historiae sacrae cum profanis versibus confusa vel minimam delectationem capiat ? Praeterea quis non aegerrime ferat in adulterum tantopere invehi illum Jovem qui harum rerum tam liber sit, ut ait Plautus, tantusque amator ? Atque rursus quem non offendat et

laedat illa Clementiae figura stantis ad Jovis solium?... Sed de istis hactenus : ejusdem vitii, si vitium est, omnes aequales Bezae — atque etiam quidam qui post illum scripserunt — rei sunt et damnandi.

In eadem Sylva animadvertere licet aliud quoque vitium idque — nostra quidem sententia — multo magis grave atque reprehendendum. Misceantur Jupiter et Salomon, David et Amor, historia sacra et mythologica, esto : hanc veniam ipsam concedamus poetae. Sed quam exigua, quam inani amplificatione omnia illa illustrantur et explicantur ! Amplificatio enim debilis est et incerta minimeque solida, qualem esse decebat tironis Musarum disciplinae. Quae poterant breviter explicari cum pertrita aut etiam inutilia essent, ne dicam ridicula, ea longius ac sine fine explicavit : qui sit Amor, quae sint Amoris arma, quae stupefactio Davidis visa Bethsabe, item qua ira Jupiter accensus sit, quam placida et pacata oratione mitiorem faciat eum Clementia, multaque ejusmodi alia. Rursus quae debuerunt fusius tractari, cum non modo jucunda, sed maxime materiae cohaerentia essent atque nullo modo evitari possent, omisit aut saltem neglegenter adumbravit; adeo ut omnis illa Sylva manca esse et clauda videatur. Duos praecipue locos, ut exempla afferam, necessarium erat ei quicumque in materia illa operam insumpturus erat, illustrare : quorum alter est ubi mulierem admiratus ejusque pulchritudine quasi divina captus David illi suadet ut culpam admittat — quem locum quodam modo vitavit Beza Amoris et armorum et arcus et pharetrae descriptione — ; alter [1],

[1] Quodam modo haec vitia in 3ª edit. attenuata sunt :

Acceptum et saevi toties totiesque leonis
Faucibus ereptum, solii quum sede locaret,
Sacraretque isto tantum diademate regem?
Ten'miserum tali pollutum caede quietem

quem omnino praetermisit, cum vituperatus severa Nathanis admonitione graviterque affectus, quantum in peccatum inciderit sibi conscius est, atque maerore et dolore pervictus insaniam et errorem suum deplorat. Quare necesse est illam Sylvam quam Bezam et amicos et imprimis magistrum Wolmarium admiratos esse et ceteris Sylvis praetulisse consentaneum est, quippe quae reliquis amplitudine praestaret et quaedam quasi epici carminis pars esset, nobis contra magis etiam debilem et infirmam videri et judicari. Epicos poetas eosque paganos imitari voluit in argumento christiano quod minime hanc imitationem admittere poterat, ideoque argumentum vitiatum est, ex quo, si simpliciter et pure tractatum esset, pulcherrimum et admirandum poema exstitisset. Quare nos qui neque amicorum, neque magistri, neque admiratorum partes sustinemus, ex omni illa longa disputatione oportet concludamus Bezam diligentem et intentum et valde probabilem fuisse discipulum, sed mediocrem poetam, vel potius minimi pretii. Ne plura, omnes Bezae Sylvae dignae mihi videntur quae aeterna oblivione condantur et sepeliantur, cum nihil nisi pervulgatum et pertritum praestent.

Ducere, quem ad poenam poscunt pro immanibus ausis
Crimina?.......
Tu modo flecte Deum lacrymis. Sic ille tonare
Vix bene desierat, quum toto expalluit ore
David, et attonitus vix tandem voce recepta,
Peccavi, infelix, inquit. Nec plura loquutus
Protinus e solio miser exilit et sua pugnis
Pectora cum gemitu plangens...
Ergo miser nunc invisos accusat amores,
Nunc jussae meminit caedis crimenque fatetur
Conscius et casum insontis deplorat amici.
Multa est ante oculos Bersabe.

PARS TERTIA

DE ELEGIIS

Nunc satis manifesto, opinor, apparet, nihil in *Sylvis* quidem laudabile vel commendabile esse, nihil Bezae proprium et peculiare nisi quae vitiosa sunt aut inepta aut vulgaria; in *Elegiis* vero facile erit declarare non praestantiorem poetam Bezam fuisse neque digniorem cujus versus, vel potius, ut illius putido genere dicendi utamur, planctus et fletus et gemebundae querelae attentius considerentur.

Ac primum illud notandum est, e duodecim quas scripsit elegiis, quasdam numeris tantum et versibus elegiarum indolis esse participes nostrumque in eis non amores suos cecinisse, poetarum antiquorum more qui praeclare illud genus tractaverunt, aut maerores quos semper secum trahere Amorem fingunt, sed contra valde discrepantia argumenta explicavisse. Elegia enim secunda, ut hoc exemplum afferam, nisi quod elegisversibus scripta est, nullo modo a sylvis differt; in loco communi et pertrito saepiusque usurpato versatur, quae mediocritatem laudet, sed quam frigide et insulse, ex hoc brevi commentario judicari potest. Demonstrat igitur ab antiquissima « vetustate » semper laudatam esse mediocritatem ; virtutem enim in medio esse positam, de quo si tantummodo deflexeris vel dextra vel sinistra, deerraveris ceciderisque brevi ; quam veritatem — novam certe et inauditam veritatem — innumerabi-

libus exemplis comprobari : ex antiquis fabulis, cum traditum sit Icaro et Phaethonti male accidisse quod e media via egressi fuissent ; ex historia, in qua legamus dictatorem Caesarem nimia clementia, nimia feritate imperatorem Neronem periisse ; e religione ipsa cultuque deorum, cum pios quoque homines deceat quemdam pietatis modum adhibere. — At, dicat aliquis, omnis haec enumeratio jam longa est et fastidiosa. — Longius etiam Beza illam produxit : divitias et paupertatem, morbum et sanitatem in medium profert ; quin etiam ab usu pharmacorum quae « moderata juvant, saepe petita nocent » exemplum addit. O praestantissima explicatio, cum moderatione tum elegantia maxime conspicua, cujus scilicet gratia admodum dignus est Beza qui septem Graeciae sapientibus octavus adgregetur ! Nemo non confiteatur omnia illa et stulta et statim intolerabilia esse. Ex universo isto carmine, quod quasi abjectissimam vulgaritatem redolet, duos tantum versus excerpere velis :

Dicere plura nefas credo, nam laude nequaquam
  Efferri immodica sustinet ipse modus.

Id quidem recte noster dixit ; immo si secum perpetuo constitisset, totam ipse delevisset elegiam. Nihil unquam fuit mediocrius quam illa mediocritatis laudatio.

Ut secunda elegia, rebus saltem et argumento, Sylvarum est simillima, sic duodecima non multum ab Epigrammatis differt, ideoque ex omnibus Bezae elegiis gratissima est, quae maximam praestet subtilitatem concinnitatemque et venustatem. Bezam enim, ut infra fusius explicabimus, quodam acumine et ingenio fuisse praeditum, ea quae in illo carmine exposuit jam nobis satis ostendent. Difficile mihi videtur in laude et adulatione magis exquisitas et acutas res inveniri posse. Secum quaerit quae sit causa

cur Helis — id nomen est eximiae cujusdam puellae — tam diu absit ; utrum « componat ornatos rite capillos » ? Sed « flava coma non jussa suo stat loco ». An illa « Tyrio colore vultum fucare » credenda sit, « cui medias intra purpura nata sit genas » ? An « creta collum, venenis rubris labra mentiatur, » cui « collum eburnum, labra minio rubentia » natura concesserit ? Non certe « tenues oculorum Helis arcus depilat » neque jubet « patula cedere fronte comas,— cui geminos talis testudo exornat ocellos, — qualis Apellea linea ducta manu [1] ». Quid ergo puellam absentem retinet ?

Helis speculum non sic remorata tuetur,
  Helis enim speculi non eget arte regi :
Ipsa sed in facie dominae crystalla morantur,
  Et raras gaudent cernere delicias.

Hic ludus amoenus profecto est et suavis. Quas de Helide laudes fecit, eae sunt concinnae et exquisitae, quod in laude et rarissimum est et difficillimum.

Undecima autem elegia de Livii et Ovidii cenotaphio octavaque de L. Validi morbo, non quidem merae sunt elegiae, sed elegiis tamen sunt similiores, quippe cum quiddam molle ac triste exhibeant. Nam mortem Livii et Nasonis non secus atque amicorum vel propinquorum Beza deplorat. In illo sane dolore — neque id est mirandum — inest nescio quid fictum et non omnino sincerum, atque statim persuasum habemus non ex intimo corde omnes illos gemitus depromi oculosque Bezae lacrimis veris non fuisse madidos ; sed ex ejusmodi deploratione eo clarius intellegi ac percipi potest quam antiquorum amantissimus noster fuerit discipulus, quantaque familiaritate a pueritia eos prosecutus sit. Tanta quidem ea esse videtur ut Bezam

[1] Longius neque minore festivitate producta est descriptio.

illis magis familiariter quam aequalibus suis usum esse credas. Hi enim versus fidelissimi temporum quibus noster elegiarum scriptor vixit indices testesque sunt, manifestoque ex eis apparet quanto ardore et amore, illa quidem aetate, antiquitatem venerarentur et excolerent juvenes; itaque non indigni sunt qui attente considerentur. — Quae dies Nasonem et Livium « orbi sustulit », ea Bezae funestior fuisse videtur quam quae « infames sanguine Cannas » vidit. Absint igitur, longe absint quaecumque maerorem tam justum aut interrumpere aut etiam levare possent; non assueta munera januario mense amici inter se commutent, sed cuncti fundant largos fletus tristitiamque induant ad rerum naturae ipsius exemplum.

Cernite nunc tristi ploratur ut undique caelo,
  Mersaque demisso terra sub imbre natet.

Item sincerus quodam modo videtur esse Beza cum Augusto maledicit qui Nasonem in exsilium proficisci non modo passus sit, sed jusserit. Quae inhumanitas principis, vel potius quae feritas!

Iulius hoc olim non fecit avunculus, ille
  Qui dedit Italiae sceptra fecunda tibi.
Et te jam merito clementem dicere quisquam,
  Ingeniumve potest dicere mite tibi?

Quem vero vivum neque admirari neque tueri immitis voluit princeps, illum mortuum quicumque in inferis adsunt aut dii aut praeclarissimi viri summis cum laudibus summaque laetitia acceperunt. Advenientibus enim Livio et Nasone omnis poetarum chorus et heroum latinorum assurrexit, Varro, Cicero, Catullus, Tibullus, Virgilius, et cetera inclytorum scriptorum « turba ». Hannibal ipse Livium excolit atque veneratur. Non ergo mirum si Beza

illas calendas januarias quotannis luctu celebrat. Testatur enim se thura vinumque injecturum esse « ficto rogo » atque hos versus « inani tumulo » impositurum :

Quisquis ades, vacuum Nasonis cerne sepulchrum,
Quisquis ades, magni cerne sepulchra Titi :
Orphei quod precibus Plutonia regna dedere,
Hoc Titus et magnus Naso dedere sibi.

Hic fervor, haec pietas quo tempore illa elegia scripta fuerit satis dilucide indicant ; nam ut ante sextumdecimum saeculum versus tantae antiquorum ingeniorum admirationis plenos non facile quisquam scripsisset, sic posterioribus temporibus praecipueque nostris risum profecto moverent.

Denique nobis concedatur de octava elegia breviter tractare, et, antequam in illam aridam ac desertam eroticorum carminum regionem penetremus[1], aliquamdiu aquas frigidas arboresque virentes intueri, id est probitatem atque sinceritatem nostri poetae experiri. L. Validum febre graviter esse confectum Beza queritur et a Jove precibus petit ut amicum carissimum in sanitatem restituat. Multa verba in illa elegia quasi amicitiam sonant. Sine ulla dubitatione omnes litterarum periti homines anteponent illos locos quibus in Virgilium amicitiam

[1] De *Elegiis* rectius quam de *Sylvis* mihi quidem videtur judicavisse Sayous. « Il y a, du reste, peu d'originalité dans ces élégies ; Bèze imite et le plus souvent copie les élégiaques latins, mêlant cependant à ses réminiscences d'une élégante latinité d'assez fréquents gallicismes que lui a reprochés Scaliger, mais qui donnent à ses vers une allure plus dégagée en leur ôtant l'air d'apprêt commun à ces sortes de pastiches. » I, 274. « Quelquefois aussi le poëte se livre à des amplifications et à des allégories dont les anciens ne lui ont pas fourni les modèles. Ainsi dans une de ces élégies il se compare à un vaisseau : l'amour est son mât, ses soupirs les vents qui le poussent ; les pleurs de ses yeux sont des torrents qui inondent sa poupe ; la fureur lui donne des voiles, etc. Si Candide ne lui tend la main pour le faire toucher au port, il va se briser, etc. » *(Ibid.)*

Horatius, Montanius in Boetium expresserunt; non tamen sine pretio hi sunt Bezae versus. Quae ab initio ejus carminis scripsit, se immenso stupore adfectum esse cum morbo Validum laborare nuntiatum fuerit, quamvis sint graviora et paululum immoderata, tamen veritatis quiddam retinent :

Ut stupet emisso si quis Iovis igne petitus,
Ut stupet insanis navita raptus aquis,
Sic stupui.

Qui vero sequuntur versus frigidi sunt et languidi; nam satis superque compertum habemus — quibus Bezae vita plane nota sit — eum nunquam in arte medendi esse versatum; sed ea, quae a cælo maxima pietate petit, quadam miseratione nos movent :

Humanae si quem tangit miseratio sortis,
Si qua potest hominum tangere cura Deos :
Quisquis ades Superum, justae miserere querelae.....
Non ego divitias posco, Craesive talenta.....
Hoc peto, si qua pii vos cura attingit amoris,
Reddatur Valido pristina vita meo.

Atque imprimis ea supplicatio dolorem et pietatem adhibet :

Quod si certa manet mortis sententia fatis,
Si petit hoc etiam Parca scelesta caput,
Hoc facite, o Divi, quae nunc mihi vita superstes
Ut Valido prosit, prosit et illa mihi.

— At poetarum more ludit, cum fabulam Castoris et Pollucis memorat! — Nihil est certius; sed illud quoque non minus certum est aequales poetas non potuisse suos exprimere sensus nisi per antiquorum scriptorum imitationem, ita ut semper quasi freti veteribus poetis videantur nunquam libero et proprio gradu incedere. Verba quidem et

orationis figurae et totae explicationes antiquorum sunt, res autem et affectus animique sensus propria sunt Bezae. Magni refert haec perplane discernere.

In reliquas elegias quibus Bezae, quo miserationem nostram vehementius commoveret, immodice descripsit quos dolores, quae tormenta ab amore pertulisset, severiore judicio necesse est utamur. In omnibus enim istis, supra quam dici potest, et mediocris fuit et frigidus.

Bezam fuisse infelicem et miserandum, « tempus in omne Veneris faces », ut ait, expertum esse atque, perpetuis exagitatum curis, noctes insomnes saepe duxisse propter Candidae amorem, Beza ipse statim a prima elegia nobis est testis. Vulgari enim dolore, si credendum est poetae, non laboravit, sed tam duro et gravi et raro ut quemquam miseriorem miserabilioremque fuisse difficile sit atque persuasum omnino habeas Bezam, ut neminem, ludibrio fuisse saevissimae illi deae, quae mortalia pectora amarissimis curis torquet. Nihil enim in se sentit nisi aeternum malum quo ab Amore conflictatur. Horrendis tamen istis tormentis illud solatii quiddam affert quod et lectoribus insigne documentum ipse futurus sit quot et quantae calamitates miseros amantes maneant[1], et rursus

[1] Eamdem arrogantiam et vanitatem omnes amatoriorum carminum scriptores praestiterunt. *Cf.* Ronsardum :

Qui voudra voir comme un Dieu me surmonte...
Me vienne voir, il voirra ma douleur,
Et la rigueur de l'archer qui me domte.
(*Amours*, I, 1.)

Et Ponthum de Thyard :

Qui veult savoir en quante et quelle sorte
Amour cruel travaille les espris
De ceux, qui sont de son ardeur espris,
Et, le servant, quel fruit on en raporte :
Qu'il vienne voir ma peine ardente et forte,
En discourant ces miens piteux escris,

quod ex eisdem calamitatibus sibi gloriam apud posteros sit conciliaturus[1] :

Quippe, aut fallor ego, aut nostros quum legeris ignes,
Et mea quum fuerit sors bene nota tibi,
Sedulus hoc deinceps et tota mente cavebis,
Ne simili mecum sis ratione miser.
. . . .
Quippe etiam haec nobis nevere incommoda Parcae :
Nequitiae fiam testis ut ipse meae.
Id tamen exemplo liceat fecisse Tibulli :
Sic Nemesis flammas culte Tibulle canis,
Cynthia saepe tibi sic est cantata Properti,
Sic est Nasoni dicta Corynna suo.
Hi tamen aeternum meruerent carmine nomen :
Dii faciant possim post mea fata legi.

Hoc est profecto generosi ac misericordis animi, operam dare ut, quos ipse expertus sit, eosdem dolores ceteri non experiantur; attamen forsitan eam singularem in alios caritatem arbitrari maluerimus nihil aliud esse nisi superbiam illam ac vanitatem qua Beza, poetarum eroticorum more, sese finxerit multo etiam gravioribus aerumnis esse vexatum quam quibus re vera vexatus sit.

Ridiculior est etiam altera causa cur elegias scripserit. Quemadmodum enim ex eis salutem aliis sperat, sic imprimis sibi gloriam. Namque cur id quod et Tibullo et Propertio et Nasoni contigit, ei quoque non contingat, ut per ora

Car mes helas, et mes soupirans cris
Descouvriront la douleur, que ie porte.
Il me verra craindre, et puis esperer,
En desir croistre, et soudain empirer,
Changer cent fois le iour de passion.
Il me verra alors, qu'Amour se ioue
De mon malheur, sur l'amoureuse roue,
Souffrir le mal d'un dolent Ixion.
(*Erreurs amoureuses*, p. 6.)

[1] *Cf.* Propertium : « Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris... ? » II, 34 ; et Ovidium, *Am.* I, 15.

hominum nomen volet perque populos diffundatur? Esto : omnibus poetis insita est semper ea non modo aequa et legitima, sed etiam mirabilis et laudanda cupido. Quis vero non statim videt in multa et gravissima incommoda atque vitia elegiarum scriptorem incurrere, quicumque tantummodo ad lectorum admirationem movendam, id est ad laudem ingenii adipiscendam, spectet? Ex eis qui inter latinos elegias scripserunt, Catullus et Tibullus et Propertius magno cum studio etiam hodie leguntur, quia in carminibus deprehendere facile est quandam sinceritatem certaque res est eos, quos cecinerunt dolores curasque, re vera et graviter quidem esse expertos. At Ovidium nonne frigidiorem, ne dicam frigidissimum, fuisse constat eo potissimum quod ex ingenio tantum, non ex imo et profundo pectore quae de amore caneret deprompsit? Idem de Beza conjiciendum erat et timendum. Necesse erat enim qui Nasonem imprimis imitaretur — Bezae vero ante omnes Ovidium propositum fuisse testis saepe fuit ipse Beza [1] — atque, cum elegias scriberet, lectores ante oculos aut nimium aut etiam unice haberet, eum putidas ac frigidas elegias scribere, quibus certe ingenii et veneres

[1] « Proposueram autem mihi in bucolicis et sylvulis quibusdam scribendis imitandum poetarum omnium principem Virgilium, gravius nihil dum meditans : elegiis autem Ovidium, cuius ingenii ubertate magis quam Tibulli munditie capiebar. In epigrammatωn vero lusibus (quod scribendi genus praecipuè quadam ingenii proclivitate amplectebar) Catullum et Martialem usque adeo probabam, ut quoties a gravioribus studiis (erant enim haec πάρεργα) deflectebam, nusquam libentius quàm in horum veluti hortulis exspatiarer. Etsi enim (quod verè dico) illorum obscoenitate sic offendebar, ut oculos etiam ipsos a quibusdam inter legendum averterem, tamen ut illa aetate non satis cautus, ita illius quidem melle, istius vero salibus capiebar, ut in scribendo quam simillimus eorum (de ipso charactere loquor) evadere studerem. Ita mihi longè maxima ex parte scripta sunt illa ποιήματα quae aliquot post annis edidi : nec illa duntaxat, verum et alia nonnulla, quae vel iam olim perierunt, vel adhuc fortassis in quorundam amicorum manibus versantur. » (*Juvenilia*, 3ª ed. *Praef.*)

et flosculos et igniculos et acumen et subtilitatem et omnia denique ejusmodi ornamenta virtutesque aliis probare possit ; sed dolorem et misericordiam atque amoris probitatem, quae quidem generis propria sunt, ex illo frustra requiramus. Si quis poetarum latinorum vel mediocrem notitiam habet, ei legenti Bezae carmina de quibus nobis nunc sermo est facile erit animadvertere illum in operibus Catulli, Tibulli, Propertii, Ovidii multum studium consumpsisse[1] et ex eis plurima in sua transtulisse, quae

[1] Ut verum dicam, omnia vel minima ab antiquis elegiarum scriptoribus mutuatus est Beza. Longum est eas imitationes *in extenso* proferre, de quibus aut jam diximus aut infra dicemus. Nobis hic satis sit affirmare Bezam non aliter atque alios fecisse qui illas imitationes sibi semper gloriati sint. « Les contemporains de Magny ne prenaient même pas la peine de déguiser leurs emprunts. Ils pillaient sans réserve Virgile, Horace, Catulle, Ovide, Homère, Pindare. Ils mettaient même quelque coquetterie à laisser deviner tel ou tel de leurs souvenirs classiques à qui les lisait... Un bon traducteur était prisé comme un original. » (Favre, *Olivier de Magny*, p. 163.) — « Au xvi^e siècle, les plus graves personnages, dans leur culte de l'antiquité, imitaient à l'envi Anacréon et Catulle. » (Feugère, *les Femmes poètes.)* Cf. etiam Burckhardt, *la Civilisation en Italie au temps de la Renaissance*, I, cap. x ; Buisson, *Sébastien Castellion* ; Dejob, *Muret*, 1881, etc. — Qui autem voluerit clarius etiam intellegere quomodo poetae qui sextodecimo saeculo floruerunt antiquos imitati sint, carmen Borbonii in *Nugis* (IV, 39) cujus est initium : « Gaudete, o Veneres Cupidinesque » perlegat, atque praecipue illud Mureti epigramma :

Curandam esse hiemis tempore cuticulam.

Ingere ligna foco : vis frigoris aspera saevit.
Eia age quid dubitas? ingere ligna foco.
Non audis, quanto Boreas bacchetur hiatu?
Nonne vides, multa ut jam nive canet humus?
Aspicis, ut veteres viduentur frondibus orni ?
Cernis, ut amissas silva queratur opes?
Cernis, et ut pigro lentescant marmore rivi?
Me gelidus totis artubus horror habet.
Ferto age, ferto huc vina, puer cyathosque capaces,
Ante focum mensas explicuisse juvat.
Jam tristi caelum est facie, jam nubilus aër
Omnia concutiens nos vetat ire foras.
Ergo domi inclusos genio indulgere necesse est,
Mos datus a priscis ut teneatur avis.

autem ex se ipse praestiterit difficilius deprehendet, quippe cum ea admodum pauca minimique momenti sint, ita ut, quemadmodum illud jure dici potuit plerosque nunquam amorem verum fuisse experturos nisi de amore audissent, sic et justius illud affirmari possit, ex omnibus istis — quorum paene infinitus est numerus — elegorum scriptoribus, perpaucos certe elegias edituros fuisse, nisi Ovidium et Propertium et Catullum legissent [1]. Quare ple-

Cf. etiam (Favre, *O. de Magny*, 182 sqq et 241 sqq) quomodo Magny imitatus sit Catullum, Tibullum, Propertium, Ovidium atque Anacreontem.

1 Ad. Gul. Scaevam.

Cantata est Nemesis, cantata est Cinthia, versus
Stella, tuos et habet, Naso, puella tuos.
Et tibi Quintilia, et satis est tibi nota Lycoris
Sive sis Æous, sive sis Hesperius.
Lesbia vivit adhuc, et per te Fannia, vates,
Vivere cum priscis, Parthenopaee, potest
Phyllida nescio quis, te Caelia protulit alter,
Galla suas laudes, ac habet Aura suas.
Nomine sed ficto : fuit haec reverentia sexus,
Ne quid in has temerè juris haberet Amor.
Scilicet hoc possunt Musae, ut sine crimine famae
Vatibus aeternent corda dicata suis.
Ut sileam veteres, sic tot victura puellis
Nostra uno vatum munere secla patent.
Delia iam Rhodano, iam Glaucia nota Garumnae,
Tybri tuas profers, exeris Arne tuas.
Sic tua, quae, veterum vates non pessime vatum
Scaeva, olim a calamis in tua plectra ruit,
Sylvia, tot meruit mentito nomine cantus,
Tot lyricos, et tot carmina, teste Pado.

(Vulteius, 90)

Macrin sa Gelonis rend par vers immortele,
Pontus sa Pasithee, et Ronsard sa Cassandre :
Du Bellay le los fait de son Olive entendre,
Eternise Muret sa Margaris fidele.
Sa Sainte Des-Autels desire toute tele,
Que ses freres divins, leurs gracieuses rendre.
Les dames sont l'objet de la jeunesse tendre
Par nombres mesurez qui ses amours decele.

(Charle Fontaine, *Erot.*, p. 106.)

rique, ne dicam omnes, imitatores tantummodo fuerunt atque, quod imitatores esse solent, frigidi et odiosi, sed ne minimam quidem candoris sinceritatisque notam prae se ferunt. Bezam quidem inter istos praecipue annumerandum esse nobis breviter nunc est demonstrandum.

Candidam et Publiam, quae in Elegiis nominatae sunt, atque etiam quasdam alias, quarum nomina in carminibus nusquam apparent, a Beza fuisse amatas satis verisimile est, ne dicamus certum. Cum enim elegias scribebat, Beza admodum juvenis erat atque animo, id est voluptati, ut fieri solet, indulgebat. Quin etiam, quo diligentior sit nostra explicatio, satis superque probatum habemus cum aliorum tum Bezae testimoniis Bezam illecebris voluptatum vehementius commotum esse quam plerosque adulescentes : quod pro ejus forma, ingenio, divitiis, non accidere non poterat. Neque tamen e carminibus ejus manifestum nobis fit eum miserabilem illam immitis Veneris fuisse victimam. Carmina frigida certe in quibusdam omnium poetarum elegiis reperiuntur, sed nescio an magis et frigida et ridicula in Bezae carminibus. Non quod omnino desint versus qui quandam flammam et amoris ignem spirent ; sed perpauci ii sunt. Quid ergo reliqui continent? Longas et insulsas et quae cito fiant intolerabiles explicationes.

Quorum omnium nobis praecipue erunt documenta quinta et septima elegiae. Ex eis nonnulli quidem excerpi possunt versus qui quandam sinceritatem praebeant :

« Poètes ou chevaliers, héritiers les uns et les autres des idées galantes du moyen âge, tous aimaient à la fois d'imagination et de passion vraie. Chacun avait sa dame, respectée, honorée pour les mérites de son esprit, et sa maîtresse recherchée pour ses charmes. Cette dernière, à l'imitation de la poésie amoureuse des Latins, avait un nom de guerre : elle s'appelait Délie, Francine, Méline, Cassandre, Olive, Castianire. L'autre, l'amante idéale, restait davantage dans le vague : une auréole de respect entourait son front. » (Favre, *O. de Magny.)*

Hei mihi, te quoties fugi, mea Candida, fugi :
Semper at in nostro pectore regnat amor.
Ecce iterum fateor, fugi te, Candida : verum
Et potui et possum dicere semper, amo.

Profecto mirabitur aliquis ex quadraginta versibus quibus constat elegia vix quatuor inveniri posse qui proferantur ! — At Bezae etiam admodum raro contigit illud paululum, ut infra videbimus ; atque omnes fere explicationes, quibus refertae sunt elegiae, frigidae esse solent et ineptae atque, ut omnia uno verbo declarentur, scholasticae. Etenim in illo quinto carmine, ut fusius et eloquentius demonstret quam dura sint absentiae mala quamque fideliter absentis Candidae memoria in animum recurrat, enumerare coepit — ut discipuli in ludis solent — quomodo omnia vel minima in assimilationem et comparationem suae infelicis fortunae produci possint :

Sive abeo in sylvas, nobis succurrit Adonis,
Et fit tristitiae conscia sylva meae :
Sive placent horti, quot florum hic millia cerno,
Tot stimulis captum me premit asper amor.....

Atque iterum enumerationem repetit : prata amori suo quiddam magis floridum addunt ; messes in memoriam inducunt Cererem et Ditem, littora Nymphas ; montes etiam ut propior sit Veneri, id est amori, efficiunt. Si vero in urbem regreditur, nullae in urbe puellae placent, et « quaecumque aliis candida, nigra est » ei[1]. Hae atque istiusmodi verborum ambiguitates Bezam delectant. Nihil

[1] Hujuscemodi jocos infra protulimus quosdam. Cf. *Erreurs amoureuses* :

Ce qui souloit mon imparfait parfaire
Par son parfait, sa force ha retiree,
Pour mon parfait en imparfait refaire.

igitur prodest Candidam fugere, cum sit semper et ubique Candida praesens : quod erat demonstrandum. Illud enim explicandi genus tam rectum et rigidum quam demonstratio geometrica, ut ita dicam, mihi videtur ; ut jam ab initio carminis praevideri possit, si non quam longa futura sit explicatio, sed certe qualis. Quo tempore inter discipulos Wolmarii agebat, Bezam profecto in eloquentia facile primas obtinuisse arbitror.

Sic unam rationem ac viam, quam in explicandis elegiis adhibere solet Beza compertum habemus. In eodem quinto carmine deprehendere alteram rationem licet, quam ita definire possumus : e quodam verbo comparationes, assimilationes, jocos et ludos atque ambiguitates educere. Candida enim cum absens simul sit ac praesens, recte umbra appellari potest ; sed rursus quis audeat Candidam umbram nominare ? Duo illa verba nimium discrepant et inter se repugnant. Quin etiam quo nomine puellam vocari decet, quae simul gemino possit esse loco ? Non humanum certe nomen illi « quadrat » : dea igitur est Candida : quod etiam erat demonstrandum, atque demonstratum est ut frigidissimus et ineptissimus scholasticorum demonstrare possit. O violentas amoris flammas ! O invictam inexorabilemque Veneris potentiam ! Et quam recte « parce, rogo, quaecumque Dea es » poeta addidit ! Si Candida, quinta perlecta elegia, non confidit Bezam vehementissimo amore esse captum, Candida non digna fuit quae ab eruditissimo quidem, sed propter hanc ipsam eruditionem stultissimo atque ineptissimo homine, et amaretur et caneretur ! Ab uno carmine disce omnes, ut aiunt. Non Candidae solum, sed etiam lectorum veniam rogare debuit pro tanta insulsitate vel potius insania. Sic verba verbis collidit atque e miserrimo joco summam voluptatem percipere videtur. Nimis sane doctus est, atque, ut de se ipso dixit, insipidus poeta.

Admodum mirabile esset — dicendum est enim quod sentio — Bezam potuisse usquam non frigidum esse in elegiis, etiam cum narraret quaedam quae verisimile est ipsi accidisse, quale est somnium in septima elegia expositum. Attamen noster scriptor arroganter in animum induxerat ut ex ea narratione non solum quandam sedationem mali sui atque etiam voluptatem perciperet, sed ceteris omnibus manifestius ostenderet quam gravis esset et terribilis et horrendus amor. Quid ergo jam a primis versibus inducit illas comparationes et enumerationes quibus elegiae sinceritas, ut antea vidimus, vitiatur et inquinatur [1] ?

Vespere colla domum referunt leviora juvenci,
  Et tacitae requiem commeditantur aves.
Vespere nunc stertit fusca cum conjuge Pastor,
  Nunc venerem exercet laetus et ipse suam.
Sol quoque postremas postquam pervenit ad undas,
  Fertur in ardentis Thetidos ire sinus.

Sed Beza non tranquillus et laetus esse potest, nedum

[1] Putidiores et ineptiores etiam comparationes apud Muretium inveniuntur :

Quanta, putas, nostram vexarunt taedia mentem,
  Ex quo diversis coepimus esse locis ?
Mitius hostili ruerent cum Pergama dextra
  Laomedontiadas indoluisse puto :
Mitius Electran, falsas cum tristis ad aures
  Venit Oresteae nuncia fama necis.
Scilicet haud alius campis errabat Alcis
  Excussus patrio munere Bellerophon.
O ! quoties aegro suspiria pectore duxi... (IV)

Non ita laeta fuit quondam Icariotis, Ulyssem
  Cum vidit salvum post duo lustra suum :
Nec tam iterum accepta Lyrnesside laetus Achilles,
  Qua quondam abducta fleverat ipse diu,
Quam te conspecta scis me, mea vita, futurum... (V)

rustice stertere possit. Nam, ut dixit noster Fontanius : « On ne dort point quand on a tant d'esprit. » Quare omnis illa insanorum amantium turba, quos insana « trahit post sua terga Venus » — ut ait noster lepide — atque ejus dignus videtur et dux et princeps, noctes atque dies gravissimis curis agitatur. Amanti enim nusquam somnus est aut quies, sed semper et sollicitudo et angor et terrores[1]. Quo Venus nondum est potita, ille, ubi « ingressus est thoros », dormire vel etiam stertere solet ; qui vero amat etiam in cubiculo Amorem invenit « pulicis exiguo corpore tectum »! Post hoc prooemium — longum quidem, sed quam subtile et rei aptum! — tandem ad somnii narrationem venit[2]. Non alio modo Virgilius Ænean somniantem effinxit :

> Nox erat, et variis vexatus pectora curis,
> Credideram molli languida membra thoro.....

Ecce undique acies fulgentiaque arma conspicere sibi videtur. Insequitur varius clamor. En mediis illi cernitur armis Candida « laniata genas, laniata comas » :

> Talis erat Paridi quondam quum rapta Lacaena est :
> Thisbe, te extincto Pyrame, talis erat.

Scilicet illae comparationes sponte sese offerrent admodum necesse erat. Noster amator « medios moriturus in hostes » extemplo irrumpit. Exclamat Candida : Beza tamen irruit moriensque morientis super corpus amicae cadit.... atque postremo expergiscitur, tam territus quam ovis est cum eam pastor e faucibus lupi ereptam servavit; per frigidum corpus sudor manat arrectaeque stant comae.

[1] *Cf.* Ovidii *Amores* (I, 2) : « Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur...? »

[2] *Cf.* Propertii *Elegias* (II, 26) : « Vidi ego te in somnis... »

Sed, cur non nobis omnia haec tantum terrorem aut tam vehementem misericordiam moveant, nulla alia est causa nisi quod poeta nos perterritos esse cupit, cum ipse maximam animi commotionem verbis declaret, revera impavidus et frigidus maneat.

Qui vero et sincero amore captus est e sui amoris descriptione semper nova quaedam argumenta facile depromit atque in eadem materia varius semper et sui dissimillimus est et abundans: qui autem, quoniam non experitur eos affectus quos se experiri fingit, jejunus est et siccus et aridus, externa quasi copia et ubertate materiem locupletare conatur ; itaque amicos vel inimicos quosdam esse simulat quibus suus amor aut contemnatur aut reprehendatur ; quae simulatio largam facultatem suppeditat unde elegi acerbi effundantur. Eo artificio non caret Beza. Sed in eis locis, quos certe ipse non tractavisset, nisi a poetis quorum imitatione fretus erat essent tractati, haudquaquam sinceriorem iram aut vehementiam invenimus, sed semper eamdem ineptiam, eadem artificia atque quasi mendacia. Ludovicum Validum amicum offensum esse amore Bezae in Candidam atque illud aegre tulisse etiamque Bezae vitio tribuisse res admodum credibilis est ; Bezam vero omni studio intendisse ut de amici animo hanc pravam opinionem avelleret causamque Candidae summopere egisse seseque asseveravisse praepositurum amicam amico, si amicus amicam non pateretur, credibilius etiam videtur : atque omnia haec possunt esse probabilia elegiae argumenta. Sed quam molli et lenta explicatione, vel etiam frigida, hoc argumentum evolutum sit, haec summa elegiae praeclare demonstrabit. Noster igitur amator miratur primum, deinde indignatur quod amici inter se judiciis et sententiis tam graviter et penitus dissonent ac discrepent : quanto satius sit, illis qui ami-

citia conjuncti sint, in omnibus rebus concordes esse animos !

Si tibi synceri nomen bene quadrat amici,
Cur mihi quae tota est candida, nigra tibi est?
Cur quoties caleo dixi, tibi frigus in ore?
Cur mihi quod gelidus Caucasus, Ætna tibi est?.....
Perfide, quis nostros unquam accusavit amores?
Candida quo tandem judice facta rea est?

Attamen quod Ludovico Candidam nondum approbari sentit, in contrarias sententias versatur atque pendet. Quid faciat? Candidamne Valido an Validum Candidae anteponat? Nam imperiosus est amor et invidus.

Cur tranversus agor? duplici cur uror ab igne?

Pietas Validum et castitas, voluptas et formae praestantia Candidam commendant, dignam quae inter deas annumeretur quamque solam sibi aequari vel etiam praeponi non dedignetur ipsa Venus. Cui enim puellae splendidiorem et perfectiorem formam dii concesserunt?

Sic caput erectum, sic frons exurgit aperta :
Sic virides oculos umbra decora tegit.
Sic oculi geminis radiant hinc inde Smaragdis :
Quae fero sunt hujus vulnera prima loci.
Utraque sic pulcher conjungit lumina nasus,
Purpureis sic est conspicienda genis.
Sic geminis roseus color emicat undique labris.....

Qua felicitate et voluptate imaginem Candidae expresserit his versibus judicari facile potest. Quid igitur Validus hanc Candidam nigram esse dicere audet? At potius timeat ne brevi experiatur quam gravis et terribilis ira sit Deae, atque tandem fateatur quae candida sit Bezae, candidam et ipsi Valido esse futuram. Nam Candidam unam sua flamma dignam profitetur, Candidam solam semper amabit crudeliterque ulciscetur eos qui amorem hunc deri-

deant et contemnant; ne Valido quidem parcet Validusque ipse jamjam experturus est eas non vanas esse minas. — E quibus argumentis haec elegia constet si quaerimus, invenimus non iram vehementem et sinceram, sed fictam et simulatam ideoque, excepta illa felici Candidae imagine, in elegia tota quodam joco poetico, quem ab antiquis poetis imitatus sit, Bezam illusisse et jocatum esse, potius quam quae vere de Candida et de amore Candidae senserit, expressisse. Quae eadem vitia clarius etiam nobis in nona elegia apparebunt.

Etenim in anum quandam iracundia graviore quam in Validum Beza videtur esse concitatus; sed quam facile est intellegere jam a primis versibus eam ipsam vehementiam nihil aliud esse nisi simulatam et poeticam, atque in istam « laenam » et « procacem » feminam Bezam esse invectum propter hanc solum causam quod latini poetae in anus latinas quondam invecti sint! Non equidem negamus principium carminis vividum esse et animosum et ferox :

At pereat quaecumque meas extinguere flammas,
Quae te cumque mihi tollere tentat anus.
Improba, laena, procax, moecha, invida, dic age, curnam
Laedi visa mea est digna puella tibi?

Sed mox hic omnis calor et indignatio residet atque versus paulatim, ut apud nostrum solent, frigescunt. Quid enim sibi volunt istae et perpetuae et vanae comparationes?

Sic premitur forti mitis clementia bello,
Sic lupus in placidas it violentus oves.

Lupae cognomine istam anum notet, esto; at saltem, ut illam exsecretur, e memoria expellat quae in ejusmodi feminas priores poetae maledicta conjecerunt! Nam paene intolerabilia sunt quae sequuntur :

At vos qui nostris vicinas, etc;

et ille locus quo demonstrare conatur non crimen esse amare, quia Venus ipsa et Dii semper amaverint :

O Venus ! an scelus est numen amare tuum, etc.

Denique, cum plurima effutiit et inutilia et inania, atque, ut ita dicam, pugnae accinctus est, ad pugnam tandem properat imprecationisque initium facit, sed non antequam memoravit, quasi semper auctore et magistro ei opus sit, Archilochum quoque « rapidos » scripsisse iambos. Longa sane est praeparatio atque omnia haec scholam et ludum redolent. Quaedam nimirum invenimus quae ex ingenio suo deprompsit ; sed patet atque luce est clarius plura, vel potius pleraque, e libris librorumque memoria nostrum in suum carmen traduxisse. Illa enim anus descriptio « macrae faciei turpiumque genarum » propter « aratam pellim » videtur expressa ex anu quadam, quam Beza ipse et viderit et cognoverit, ideoque vivida est et vere poetica :

Emineat quamvis dens unus et alter ab ore,
Sordeat et canis tempus utrumque comis :
Te precor insani rabies exedat amoris,
Et turpi inclusum pectore vulnus alas.

Sed cur, qui modo tantus erat, tam brevi evanuit nostri amantis furor ? Nam quaecumque sequuntur frigida sunt et inepta. Non jam iratus est, sed ludit, cum impuram anum irae caelesti devovet. Verumenimvero quid haec significant ?

Atque ita bis centum quum tandem impleveris annos,
Tunc cupias frustra pessima moecha mori.....
Atque ita ter centum quum tandem impleveris annos,
Cedat ab infami corpore vita procul.
Sylva rogum invideat, nec det tibi terra sepulchrum.....
Interea invisos jubeat discedere manes

Portitor, et Stygias tangere nolit aquas.
At tu deserto studeas in littore maesta
Infernum precibus sollicitare Jovem.

Sic tantum non semper discipulo id vitium fuit quod nimis fideliter atque pie antiquorum vestigia et persecutus est et veneratus.— Sed elegiarum genus nunquam Bezae quidquam fuisse nisi poeticum jocum et veterum scriptorum imitationem, elegiae sexta et decima praecipue declarant.

Quod ad decimam attinet breviter explicabimus. Candidae — non puella nominatur, sed verisimile est ad Candidam omnia haec spectare — coma periit atque, ut perpolite dicit poeta, « glabrum » ejus manet caput. Quas vero consolationes allaturus sit amicae Beza statim nobis in animum occurrunt. Sed majorem opinione omnium ineptiam, ne dicam rusticitatem, praestat.

Desine, stulta, queri, nam quod periisse videtur,
Tempora reddiderint non ita longa tibi.

Quin potius miserae puellae, ut ei pulchritudinem et comam redonet, unum ex illis remediis pharmacisque suppeditat, de quibus tam saepe in Poematis locutus est tam eleganter et urbane ? Num credibile est infelici allata esse solatia istis, poeticis quidem, sed magis etiam ridiculis similitudinibus ?

Sic tibi saepe thymus, sic et tondetur anethus,
Mox tamen in frondes surgit uterque suas.
Sic quum saepe rosas toto collegeris horto,
Purpureas idem cras dabit hortus opes.

Sed, ne haec Candidae humiliora et nimis abjecta videantur, ad sublimiora tendit poeta, et quae jam ab initio dicenda erant postremo dicit:

Quippe hujus radios nuper miratus Apollo,

Siderea dignam credidit esse domo.
Scilicet hinc ficto Berenices nomine tecta,
Junctaque nocturnis ignibus illa micat.

Quae tam barbara et litterarum rudis et poeticis imaginibus infesta puella inveniri possit, quae comam suam periisse non consoletur, si fore ut coma illa inter stellas mox splendeat, amico persuadente, confidat? Ingenio, ut diximus, indulget Beza neque ullam quidem in hoc carmine sinceritatis particulam retinuit.

Sed omnium quae explicavimus vitiorum nulla elegia admirabilius et praestantius exemplum praebet quam sexta. Digna enim admodum est quae inter perfectissima putidarum et stultarum ineptiarum exemplaria primas obtineat. Itaque attentius explicanda est et consideranda.

Ut quondam aequore genitam fluctibus innavisse Venerem poetae finxerunt, sic Beza sese pelago jactatum fingit; sed admodum inutile est animadvertere illam exercitam navigationem nunquam evenisse.

Quaeris ubi fluctus, ubi sint saeva aequora? nusquam :
Sed mare quo vexor terra dat ipsa mihi [1].

[1] Quand le desir de ma haulte pensee
Me fait voguer en mer de ta beauté,
Espoir du fruit de ma grand loyauté
Tient voile large à mon desir haulsee.

Mais cette voile ainsi en l'air dressee,
Pour me conduire au port de privauté,
Treuve en chemin un flot de cruauté,
Duquel elle est rudement repoulsee.

Puis de mes yeux la larmoyante pluye,
Et les grans vents de mon soupirant cœur,
Autour de moy esmeuvent tel orage.

Que si l'ardeur de ton amour n'essuye
Ceste abondance (helas) de triste humeur,
Je suis prochain d'un perilleux naufrage.

(*Erreurs amoureuses*, p. 28.)

Jam illa terra ex qua gignantur aequora nobis immensam admirationem et stupefactionem injicit; sed mox et admirandi et stupendi graviores causae nobis occurrunt.

Me miserum, quamvis liquidis sejunctus ab undis,
Auferor a ficto naufragus ipse freto!
Hei mihi, quid Ficto dixi? verissima nobis
Unda nocet, fictum res habet ista nihil.
Nusquam undas video, circumstant attamen undae,
Scilicet in Sicco curro natoque mari[1].

Profecto, quia inaudita ei visa est et rara et unica, tam eximiam comparationem redintegravit et iterum atque iterum usurpavit.

Ecce iterum Sicco cur dixi? nempe sepulta
Ingenii vis est quantulacumque mei.

Multum enim refert accuratissime lectores monitos esse

A cest anneau, parfait en forme ronde,
Ensemble et toy, et moy, ie parangonne.
La foy le clost : la foy ne m'abandonne.
Son teint est d'or : moins que l'or tu n'es blonde.
S'il est semé de larmes : trop abonde
L'humeur en moy, qui proye au deuil me donne.
Si un escrit au dedens l'environne,
Tu m'es au cœur en graveure profonde.
Sa foy retient un diamant lié :
Et mon service à toy tout dedié
T'arrestera : tant sois cruelle, ou dure.
Et puis : ainsi que ny force, ny flame
Peut consumer un diamant (Madame)
Malgré tout sort sans fin mon amour dure.
(*Erreurs amoureuses*, p. 26.)

[1] *Cf.* Muretum *(Epigrammata)* « in Venerem ».

Si Venus, ut mendax docuerunt turba Poetae,
De mediis vere nata putatur aquis,
Qui fieri potis est mediis ut fluctibus orta
Assiduo nostrum torreat igne jecur?
O! dolor. O! quid jam miseri speretis amantes?
E media vobis nascitur ignis aqua.

ne inter tam impeditas et obscuras vias deerent, cum scriptor ipse fateatur errationis periculum sibi exstitisse :

Hinc toties cogor mentem mutare priorem.

Rectius poterat dicere non priorem, sed totam mutatam esse mentem, penitusque et funditus judicium et sapientiam amissa esse qui illa horrenda tam placido, tam frigido, tam contento animo garrire et effutire potuerit! Nam ab initio usque ad finem, per totum carmen, illam amoris cum nave comparationem persequitur, fastidiosam et detestabilem. Oculorum lacrimae flumina et aquas navi praebent; suspiria ventos, stimuli remos et vela furor. Sed satius est versus ipsos proferre :

Spes miserae est cymbae clavus, spes optima Divum...
Anchora sunt humili deprompta e pectore verba,
  Vix tamen iratas haec remorantur aquas.
Firmus amor, ratis est malus, sunt dona rudentes.
  Fune carina regi, munere sueta Venus.
Navis es o anima insano correpta furore:
  Te miseram caecus navita ducit Amor:
Tempestas scopuli, etc., etc.

Sed si quis forte credat a Beza non longius esse productam incredibilem illam comparationem, vehementer erret :

Fulmina quae vereor sunt verba minantia nobis.

Postea immodice explicat quam sint longi et duri conatus ut navem ad littus adpellat, atque jure concludit :

Quem tot turbae agitant, hunc o Cytheraea negabis
  Sentire insani cuncta pericla maris ?

O insanum nautam! O cerebrum nimia eruditione infecetum funditusque perversum ! Ille tamen furor poeticus

non satis expletus est et satiatus atque, ut quasi quandam coronam ridiculam ridiculo aedificio imponat, sic finem facit elegiae :

... Facias tensis intrem mea littora venis,
Ah, volui velis dicere, parce Venus.
Parce Venus, mea culpa levis, si culpa vocari
Mutatae debet littera syllabulae.
Si sit culpa tamen, fateor : Venus haec mihi culpa,
Haec, inquam, nobis optima culpa placet.

Igitur usque ad ultimum extremi versus verbum scholasticus est et insanabilis. In illa elegia, ut in tabula, expressa sunt omnia Bezae elegiarum vitia[1].

[1] His ludis et verborum ambagibus miro modo aequales Bezae delectati esse videntur. N. Borbonius (I, 33) e *Cassia Casiam* efficit fingitque (I, 144) *Stagnam* — quod est nomen puellae — idem esse verbum atque *Stagna*. *Cf.* apud eundem (I, 192) :

Quur violas mittis ? nempe ut violentius urar :
Heu, violor violis, ô violenta, tuis.

Sed Vulteius plura et festiviora exempla nobis praebet. (*Epigram.*, I, p. 22.)

Ad Cliniam

Quae violas violis mentem violentius, oro,
Ne violer violis : fac violes violas.

Clinia respondet.

Qui vultum vultu, Vultei, ardentius uris,
Illa meas violas fac tua flamma voret.

Ad Morettum.

Sunt, qui te appellant Maurum vocitantque Morellum :
Morum alii indocti saepe vocare solent.
Falluntur : Morus, Maurus, non deinde Morellus,
Moribus à comptis nempe Morettus eris. (*Ibid.* 30.)

Easdem pueriles ineptias Ponthus de Thyard ostendit. (*Erreurs amoureuses*, 50.)

Heureux le moys, heureuse la journée,
Heureuse l'heure, et heureux le moment,
Heureux le siècle, heureux le firmament,
Souz qui ma Dame heureusement fut nee.
Heureuse soit l'heureuse destinee,
De l'astre heureux, lequel heureusement
Faisoit ce iour son heureux mouvement,
Sur toute estoille en bon aspect tournee.

PARS QUARTA

DE EPITAPHIIS

Quale illis temporibus esset epitaphiorum genus necesse est perplane cognitum habere, ne nimia severitate in Bezam uti velimus [1]. Igitur in epitaphiis, non modo ante, sed etiam longe post Bezam, poetis propositum erat non memorare quae defunctorum hominum facultates virtutesque fuissent quove desiderio post mortem amici et propinqui eos prosequerentur, sed occasionem tantum saepenumero, ne dicam semper, sumere ubi ingenium ostentarent et omnes egregias ingenii laudes, subtilitatem, abundantiam, elegantiam, varietatem, ut illud recte dici possit epitaphiis raro mortuorum gloriam celebrari, plerumque poetarum sollertiam approbari. Itaque facile est intellegere quid in epitaphiis componendis scriptores omnibus quasi animi viribus consequi conarentur, quid lectores ipsi exspectarent. Quo fit ut saepe inter epitaphia et epigrammata quod sit discrimen et dissimilitudo demonstrari non possit, quippe cum et in his et in illis eadem subtilitas, idem acumen, eadem abundantia, eadem venustas, interdum etiam eadem concinnitas, aut contra severitas et fel et malitia reperiatur. Dolorem vero aut pietatem aut misericordiam frustra requiras. Nonnunquam admirationem, saepe risum,

[1] *Cf.* quae de epitaphiorum genere et de Nicolai Borbonii epitaphiis dixit G. Carré in illo opusculo quod inscriptum est *de Vita et Scriptis Nicolai Borbonii*, 1888.

raro lacrimas epitaphia movent. Denique non alio consilio epitaphiorum genus atque reliqua litterarum genera colitur. Quibus dictis cognitisque, spero fore ut rectius ac justius Bezae epitaphia et intellegantur et aestimentur.

Non enim mirabimur quaedam ex illis magis aut jocosa et petulantia aut etiam acerba et satirica esse quam ut tumulis inscriberentur. Videamus exempli causa quid in Ceratinum [1] et Belnensem [2] et Renatum Gentilem [3] dixerit Beza. Certe non illorum mortem deplorare voluit quos tam ridiculos aut tam improbos induxerit. Epitaphia quidem illa nominari possunt cum ad mortuos pertineant, sed facilius in libello satirarum collocentur; nulla enim alia re ab epigrammatis differunt nisi quod vita defunctos, non vivos homines laedunt atque mordent. Non dolore et lacrimis, sed sale, ira, odio referta sunt.

1 Flete agedum, flete, o fratres; exstinctus abivit
Ille unus vestrae relligionis honos.
Ridete o reliqui, risu dignissima res est :
Haec sunt perpetuis funera digna jocis.
Quippe hujus quondam mendacibus omnia fucis
Perdere, sola diu curaque mensque fuit.
At dum cuncta tegit, dum fraudibus omnia velat,
Mors simulatorem, non simulata rapit.

2 Hunc sibi Belnensis tumulum quem cernis inanem
Struxerat, invidit cui laqueus tumulum.
Debuerat certe, fors si foret omnibus aequa,
Tardius hic fieri, vel prius ille mori.

3 Fracto gutture stare quem revinctum
Impellique vides et huc et illuc,
Quondam purpureo sedens Senatu,
Primas Parhisio in foro tenebat.
Verum (proh facinus, scelusque grande),
Dum lucri studio impotente captus,
Bonos non minus ac malos coercet,
Justo numine sic jubente Divum,
Vivus qui male sederat tot annos,
Stare nunc male mortuus jubetur.

Ejusmodi est epitaphium « advocati cujusdam » :
O rerum varias vices et ingens, etc...

Item minime mirandum est quod epitaphia regum et principum et heroum nescio quid insolens et nimium prae se ferunt. Dolor enim, ubi fit publicus, quasi mentitur et infucatus est. Quod vitium omnibus cum praeclaris, tum mediocribus poetis commune, nullo modo Beza vitare poterat; itaque minime vitavit, ut ex ducis Anguiennensis epitaphio intellegere facile est. Non quod in illis carminibus nullum inesse dolorem ausim contendere : quid enim magis hominum naturae consentaneum est quam maerore et luctu affligi, cum quis juventa florens immatura morte rapiatur, praesertim si idem ille juvenis regis sit filius et quasi pars spei publicae? In illo funebri carmine sinceros fletus et querelas et lamentationes deprehendas. Sed mox ad indolem suam recurrit Beza et ad suas stultitias doctasque comparationes redit.

Arca, olim, ut credo, Stygia compacta cupressu,
Arca, eheu quanta nobilitata nece!

Hi versus statim nobis in memoriam reducunt quae Horatius in arborem maledixit cujus casu paene occiderat. Praeterea altius repetita est et quaesita illa assimilatio ludorum Fortunae cum ludis in quibus dux Anguiennensis occubuit [1]; atque nimias laudes et obsequiosas et serviles continet hic locus :

Arca, in qua Parcam Mavors absconderat ipse,
Audiit ut factis aemula facta suis.

Sic dolorem qui primum satis fuerat sincerus non modo debilitant, sed etiam contaminant atque inficiunt omnes illi inepti joci nefandaeque elegantiae. — Eadem fere de

[1] At si nobiscum vis, o fortuna jocari,
Cur istis mors est seria mixta jocis?

Delphini epitaphio dici possunt. In primis versibus pleniore et fere vero desiderio commotus Beza fuisse videtur:

Hunc etiam juvenem exstinctum, rogo, cerne, viator,
Hei mihi, cur vivum dicere fata vetant ?
Hic est, quo niti regnum debebat avitum,
Spes patriae nuper, spes quoque prima patris,
Pro quibus intrepidus fortem dum fertur in hostem,
Ipse illum Mavors vidit et obstupuit.

Sed in clausula epitaphii subtilitas Bezae inest et acumen. Non enim carmen gloria Delphini dignum fuisset, nisi Delphinum poeta cum aliquo ex antiquis praestantissimis viris comparavisset. Itaque regis Gallorum filius cum Alexandro confertur:

Macte tamen Princeps : nam te mors ipsa fatetur
Non aliter vinci quam potuisse dolo.
Nempe erat hoc reliquum, Pellaei ut principis acta
Æquares, simili te quoque fraude mori.

Necesse erat misericordia quae jam ex epitaphii principio exorta erat evanesceret. Sed carmen suum Beza illa comparatione gravius et insignius futurum esse confidebat, nedum illud inquinari et debilitari posse opinaretur.

Id tamen non est asserendum poetam ex sua eruditione atque doctrina infelices fructus semper cepisse. Non enim hanc laudationem Francisci I scripsisset, si minore ardore et studio antiquarum litterarum fuisset inflammatus. Sed homo omni veterum disciplina institutus et quasi imbutus non poterat non epitaphium et magnificum et sincerum edere illius regis qui bonarum litterarum assertor vindexque fuisset. Profecto quaedam insunt in eo carmine quae delere velles, qualia ea sunt :

Ergo suos cernens vanos Fortuna labores,
Et irritos omnes dolos,
Auxilium poscit supplex a morte: roganti
Mors paret illi protinus.

Attamen concedendum est eas quamvis nimias et nimis doctas, ut ita dicam, miserationes, hujus regis epitaphio quodam modo aptas esse, neque rursus lacrimas nimis abundantes et amaras fundere posse illum poetam qui patrem ipsum poeseos amissum deploret[1].

Bezae igitur illud contigit — raro quidem idcircoque res est clarius illustranda — ut in quibusdam epitaphiis sincerum et probum sese praestaret. Quae in mortem propinquorum et amicorum carmina edidit, avunculi sui Nicolai[2], Valentis[3], Gulielmi Langaei[4] et Simonis Gry-

[1] Jam titulus ipse epitaphii satis aperte demonstrat quid consequi voluerit poeta. Ex eo quosdam proferre versus nobis libet.

Corporis ac animi florentem dotibus, atque
Re facile primum ut nomine....
Sublatum ingemuere omnes, sed prae omnibus, illae
Illae Camoenae nobiles,
Hebraeae, Graecae et Latiae, quas ille fovebat,
Ut filias solet pater.

[2] Marmore de Pario nullas hic stare columnas,
Æra nec artificis vivere jussa manu...
Hic autem magni quondam pars magna Senatus,
Aut nullo, aut solo Beza Catone minor :
Quem sic eripuit virtus ter maxima morti,
Vivat ut extincto posthumus ipse sibi.
Mortuus e tumulo famam cur captet inanem,
Illi quam vivo vita peracta dedit?
Immo si verum fas nobis dicere, sed fas,
Dignus qui tumulo non tegeretur erat.

Idem epitaphium in tertia editione *Poematum* Beza gravius etiam atque dolore plenius effecit.

[3] Extincto nuper Respublica maesta Valente
Visa mihi secum sic gemebunda queri :
Saepe alios flevi, dum sic raperentur, alumnos :
Causa tamen nunquam justior ulla fuit.

[4] Langaeus ille magnus hic jacet, Lector,
Unus Minervam colere doctus et Martem,
Quo nemo melior pace vixit aut bello.
Vitae genus habes : mortis en genus disce :
Ætate consumpta laboribus multis,
Suis, suorumque omnium fere exhaustis
Bonis, in usus Galliae suae, tandem,

naei[1], istas quibus uti declamatores solebant sententias nusquam exhibent, ideoque non omnino indigna fuissent quae re vera tumulis inscriberentur. Sed quid ridiculius, quid etiam stultius epitaphiis Stellae, Budaei, Pomponii et Quelini? Omnes illos tamen non modo cognoverat, sed etiam vehementer Beza dilexerat; cum Pomponio et Quelino maxima familiaritate fuerat conjunctus; Budaeum vero summa admiratione summaque amicitia semper prosecutus est; denique Stellam, quem inter magistros habuerat et ejus filiam amaverat — huic puellae quos primos scripsit versus dedicatos esse compertum habemus — adsiduo quadam veneratione complexus est. Vix autem credibile est quam omnium illorum inepta sint epitaphia et insana. Quod ad magistrum Petrum Stellam spectat, in eo ambiguitate verborum usus est quam invenisse certe est laetatus, sed ea nobis cum per se ipsa pessima, tum minime proposito congruens videtur :

Mundus ut assidua gauderet luce, suoque
   Vivere Sol posset liber ab officio,
Lucifer in terras caelo migrare relicto,
   Atque hominis faciem sumere jussus erat.
At mox ut Stellae discessu clara Deorum
   Perpetua coepit regia nocte premi,
Paenituit mandasse Jovem, Stellamque vocavit,
   Et Solem antiquas jussit obire vices.

Quum plus Milone et Curione deberet,
Interiit. Ergo pauper occidit, dices :
Immo locuples, cui patria debuit tantum.
De Langaeo, *cf.* Bezae *Histoire ecclésiastique*, I, 144.

[1] Epitaphium Simonis Grinaei longius est quam ut proferatur atque similius est elegiae quam epitaphio : triginta enim hexametros versus continet. De S. Grinaeo, *cf.* *Nugas* N. Borbonii, IV, 30 ; VII, 156 ; VIII, 42 ; Herminjard, III, 386-387 ; Buisson, *Sébastien Castellion*, I, 72 ; *Scaligerana :* « Simon Grynaeus estoit un gentil personnage. Il a fait de belles préfaces sur Pollux et autres bons auteurs ; » et Bayle, *Dictionnaire.*

Ineptius etiam, si fieri potest, et ridiculius est Quelini epitaphium :

Ille, Calliope, Quelinus ille,
Et tuus simul, et meus Quelinus,
Ille, inquam, in media senex juventa
Aquis interiit miser sub illis,
Non quas fonte tuo hauserat, nec illis
Quas secum fluvii trahunt sonantes :
Sed quas, dum vigiles terit lucernas,
Collectas aluit scelestus hydrops.
Sic tuus periit tibi Quelinus,
Sic meus periit mihi Quelinus.
Ergo hunc Calliope fleamus ambo,
Ut illum propriis aquis peremptum,
Servemus lachrymis aquisque nostris,
Ut vincantur aquis aquae, et putetur,
Ille qui periit mihi tibique
Servatus studio tuo meoque.

Sed quis credat M. Pomponium ipsum, illum Pomponium quem unice dilexerit et in privatis rebus omnibus socium habuerit Beza, non simpliciorem et sinceriorem laudationem adeptum esse? Maxima est verborum abundantia [1], doloris et desiderii major etiam inopia. Exundat carmen et aestuat, quasi effrenatum est et delirans :

Vos nunc advoco flebiles Phaleuci,
Vos voco o numeri severiores :
Adeste, obsecro, dum meum Macutum,
Meas delicias meamque vitam,
Morte lugeo pessima peremptum.
Unde Pierides loqui auspicabor? etc., etc.

Magnum et heroicum sonat Pomponiumque laudibus ad astra extollit. Quam enim merito illa mors deploratur

[1] Id epitaphium 86 versus habet.

cum Pomponius mente diviniore quam Orpheus[1] ipse donatus esset, vehementiore eloquentia quam Pericles et Cicero[2]; in arte pingendi calliditate Apellem[3] vinceret, doctrina et morum hominum experientia Pythagoram et Platonem! Non ergo mirandum quod funeribus tam docti, tam eloquentis, tam egregii viri et Nymphae et Hermes et Cytheraea et Apollo ipse adsint :

Dic mihi, Cytheraea, dic, Apollo,
Dic Hermes, mihi, dicite o Camoenae,
Cur nostrum, rogo, cur meum Macutum
Passi estis perimi ?

Sed valde erravit Beza si istis putidis explicationibus dolorem et misericordiam in animis legentium commoveri

1 Traxit carminibus suis opacas
Sylvas, et juga montium comata,
Undarum et domuit rapacitatem
Orpheus, sed superavit hunc Macutus
Mutis non modo doctus imperare,
Sed pacare hominum potens furorem,
Et lenes itidem incitare mentes :
Nec solos digitos movere doctus,
Sed lingua pariter loqui diserta.

2 Pericles potuit tonare quondam,
Sed Graecus tonuit suis Athenis.
Lingua Tullius eloquens Latina,
Romanis tonuit suis Latinus.
Natus sanguine Gallico Macutus
Et Graece tonuisset et Latine,
Hoc si Roma foret Latina seclo,
Et nunc Graecia Graeca personaret.

3 Apelli Cytheraea picta quondam
Nec tota attamen, immo inabsoluta :
Mille autem Veneres Gratiasque
Expressit lepidus meus Macutus,
Aut vicit potius, nec id colore,
Sed docta lepidaque scriptione.

Eumdem modum servat Beza cum Pomponium comparat cum Platone atque Pythagora.

posse et excitari credidit. Non enim immaturam Pomponii mortem lugemus, dum hanc lugendam ingenii ubertatem animadvertimus. — Sed longe primas obtinent quae de Budaeo edidit tria epitaphia, e quibus primum graeca, alterum et tertium latina lingua scripta sunt. Nam in graeco Budaeum ante Apollinem ipsum collocat [1]; e latinis vero, unum satis est grave et simplex, quamvis quaedam reprehendenda etiam in illo inveniantur, qualia ea sunt :

Caelo animum, terrae corpus donavit habendum :
 At cerebri nobis dona superba dedit.
Sic decessit inops, nam nil sibi liquerat ipse.

Hanc enim distinctionem ac divisionem et subtilem et elegantissimam necesse est omnes fateantur ! Sed omnia ista nobis mirae simplicitatis videbuntur esse, si alterum epitaphium ante oculos habuerimus :

Budaeum flevere homines, ploravit et aer,
 Budaeus gelidis est quoque fletus aquis :
Sic flevere homines, ut plena volumina maestis
 Carminibus quivis Bibliopola terat.
Sic aer luxit, consumptis undique nimbis,
 Ut jam quas plueret non reperiret aquas.
Flumina sic flerunt, ut quo modo navis abibat,
 Currat inoffensis sicca quadriga rotis.
Restabant caelum et tellus, communis ut omni
 Quanlibet immenso maeror in orbe foret,
Sed quum caelum animam Budaei, terra cadaver
 Possideat, quaeso, qua ratione fleant?

Num credibile est quemquam eo stultitiae et ineptiae unquam esse progressum ?

[1] Eaedem nimiae et ridiculae laudes inveniuntur in epitaphio Eobani Hessi « poetae egregii ». De Eobano Hesso, *cf.* Baillet, *Jugemens des Sçavans sur les principaux ouvrages des Autheurs;* M. Wolmarium, *de Vita philosoph. Germanorum;* Erasmum, *Epist. ad Mucianum Rufum;* et Buisson, *Sébastien Castellion*, I, 264, 267, 288.

Itaque in epitaphiis plerumque adeo jocatur et ludit Beza[1], ut quae vere senserit, quae contra finxerit difficile sit plane discernere. Cujus rei Doleti epitaphium maximum documentum erit[2] : in illo enim desiderium et sinceritatem invenias, sed quam longe et alte repetita! quam obscurata et vitiata illa fictione Musarum quae rogum exstinguere conentur et Jovis qui Musas prohibeat ne novo « colono » Olympum privatum esse velint !

Quare de epitaphiis Bezae hoc judicium facere possumus, ea, quo breviora sint, eo esse meliora, ideoque nullum ex eis anteponendum esse epitaphio Antonii Pratensis, cancellarii Galliae, inter obesos obesissimi :

Amplissimus vir hic jacet.

[1] Perfectissimum exemplum praestat epitaphium Catharinae Texeae, de qua Beza secum quaerit utrum vir illa fuerit an mulier.

Ardentem medio rogo Doletum
Cernens Aonidum chorus sororum,
Charus ille diu chorus Doleto,
Totus ingemuit, nec ulla prorsus
E sororibus est reperta cunctis.....
Quae non vel lachrymis suis, vel hausta
Fontis Pegasei studeret unda
Crudeles adeo domare flammas.
Et jam totus erat sepultus ignis,
Quum caelo intonuit severus alto
Divorum pater.....
At cessate, ait, et novum colonum
Ne diutius invidete caelo,
Caelum sic meus Hercules petivit.

PARS QUINTA

DE EPIGRAMMATIS

Sed Beza non solum sylvas et elegias et epitaphia edidit; scripsit etiam epigrammata[1] quae quidem majoris pretii esse videntur. Non quod adeo sint acuta et acerba ut inter satirarum scriptores lepidissimos et acerrimos Beza numerari possit; attamen ea pars operis nos maxima voluptate allicit quia, ut res locuples est et læta, sic Beza in ea tractanda praeclaras interdum ingenii virtutes ostendit. Primum enim dicendi genus poetarum latinorum minus serviliter secutus est; deinde, quod natura mordax erat et acutus, in satirico genere praestaret necesse erat; ex quo intellegi potest Bezam epigrammatis quam ceteris carminibus majorem gloriam sibi comparavisse.

Ac primum quidem animadvertendum est nullum poeseos genus illis temporibus magis varium fuisse ac diversum quam epigrammata. Pleraque enim epigrammata Bezae omnino Graecorum epigrammatis dissimilia sunt. Attamen quaedam invenias in quibus Graecos imitatus est : testes sint *Icones*. Sed quia nulla virtute peculiari elucent neque

[1] Omnes fere poetae, qui tunc lingua latina usi sunt, epigrammata scripserunt, N. Borbonius, Vulteius, etc ; ita ut illud jure dici possit nullum genus magis cultum fuisse et exquisitum.

a nostro ipso scriptore inter Epigrammata collocata sunt, de iis non dicendum est[1].

Bezae epigrammata non minus eis quae nostris temporibus componuntur quam Graecis dissimilia sunt. Plerumque enim eo consilio scripta fuerunt ut ad certum quoddam tempus accommodarentur ; res abundantes sunt et admodum variae ; nullam legem poeta sequitur ; huc et illuc progreditur, sicut lubet. Quae libertas, ne dicam licentia, praecipua causa fuit cur epigrammata Bezae maxima cum voluptate ab aequalibus lecta fuerint. Ea cum sint multa — octo et nonaginta enim sunt — in plura genera dividemus, quo et commodius et clarius ea inspicere possimus.

Primo igitur in genere collocabimus ea quae inscriptiones sunt aut inscriptionibus similes. Haec, ut verum dicam, non illa simplicitate venustaque subtilitate commendantur qua in Graecorum operibus tantopere delectamur ; sed potius hoc animadvertimus Bezam in hujusmodi epigrammatis semper consectatum esse, velut recentiores scriptores in illo poetico genere quod dicitur « sonnet », acumen illud et lepidum jocum ex quo clausulae constant quibus tantummodo vel praecipue valent. Simplicitatem nudam atque inornatam a nostro poeta spretam adsiduo fuisse dicas, eumque rursus in exquisitis et subtilibus sententiis

[1] *Icones* Bezae nullo modo cum Alciati *Emblematis* comparari possunt. Ex eis tamen quaedam non contemnendae sunt atque has proferemus :

Hercules Œteus.

Certavit mecum Virtus superataque cessit,
Hac volui victa victor et esse mei.

Pithagoras.

Laudent vitam alii suam loquendo,
Virtutem ipse meam probo tacendo.

Democritus.

Omnia Democritus ridebat, tu quoque, lector,
Democriti ride, si sapias, tumulum.

indagandis unice occupatum. Verum in illa indagatione non solum non omnino felix fuit, sed interdum minime comis et urbanus. Pulchre et non sine solertia reginam[1] laudat cum illam praedicet omnium mulierum esse longe formosissimam et quae apud aequales et quae apud antiquos formae decore floruerint; sed nequaquam felix fuisse videtur ubi Helionoram Helenae comparavit, quamvis Graecae Gallicam mulierem anteponat, quippe cum dissensiones haec sedet, illa autem concitet. Felicior fuit et elegantior dum nuncupat Candidam praestantiore esse forma quam ut imagine et pictura exprimi possit[2]. Sed quid libero viro et honesto indignius quam illud epigramma de Veneris statua Francisco I a Renzo oblata? Meritone assentator fuisse et humilis et contemnendus ille dici potest poeta qui ausus sit scribere Venerem ipsam e « polo » descendisse, Marte Joveque relictis, quod regem Gallicum majorem et polo et Marte et Jove ipso haberet? Una tamen defensio occurrit, quod illis temporibus poetae sic loqui solebant.— Minus curioso et affectato dicendi genere usus est quoties de scriptoribus praeclaris verba fecit. Columellae quidem ingenium satis veris coloribus depinxit, quamvis supra modum eum laudaverit[3]. Sed non probari potest cum miratur Erasmum, quem totus orbis terrarum continere nequeat, tabula qua tamen solum corporis dimidium exprimatur contineri[4]. In his et talibus carminibus tenuitatem nimis exquisitam et quandam acuminis affectationem deprehendere licet; conatur semper poeta ut acute et subtiliter dicat; sed fatendum est plerumque hunc vanum esse laborem inanemque curam. — Quaedam ex his epi-

[1] *De Helionora Francorum regina.*

[2] *Ad Candidam, de ipsius facie in tabella expressa.*

[3] *In laudem Columellae.* — Quod ad epigrammata, quae proprie ad litteras pertinent, spectat, *cf.* infra.

[4] *In Erasmi imaginem.*

grammatis longius sunt producta atque perfectiora, etsi aliquam subtilitatem retinent. Libenter in « Anthologia » colloces illam descriptionem Virtutis cum concisam, tum venustam atque vis et acuminis plenam :

Quaenam tam lacero vestita incedis amictu ?
Virtus antiquis nobilitata sophis.
Cur vestis tam vilis ? Opes contemno caducas.
Cur gemina est facies ? Tempus utrumque noto.
Quid docet hoc frenum ? Mentis cohibere furores.
Rastros cur gestas ? Res mihi grata labor.
Cur volucris ? Doceo tandem super astra volare.
Cur tibi mors premitur ? Nescio sola mori.

Carmen quod inscribitur « in Amorem » satis libenter etiam nunc legimus. Quod « de Phillide et Damone » est, si dicendi genere peccat, probandum videtur sententiis. In carmine, cujus titulus est « in Italiam[1] », ludit Beza ut libenter ludebat cum viginti annos erat natus et sicut semper ludere soliti sunt omnes poetae qui nimio acumine et tenuitate gaudent. Sed hujuscemodi epigrammatum tanquam perfectissimum exemplum haec « comparatio amantis cum venatore » haberi potest :

Dum leporem nuper nemorosa per avia sector,
Antiquae in mentem mi rediere faces.
Nec mirum, studio quum delectentur eodem,
Cui Dictynna placet, cui Cytheraea placet.
Ille etenim leporem sectatur, et iste leporem,
Res fugitiva lepus, res fugitiva lepos.
Venator casses et casses tendit amator,
Quos saepe incassum tendit uterque tamen.

[1] Cur Italas urbes Phoebus torrentior urat,
Si quaeras fieri qua ratione putem...
Nulla magis tellus pulchris foecunda puellis,
Italia, nulla est terra beata magis.
Hi sunt nimirum quos Phoebus dum videt ignes,
Credibile est ignes multiplicare suos.

Ex aequo pluvias et ventos spernit uterque,
Damnosos nutrit stultus uterque canes.
Attamen hoc distant, quod quum fera sternitur, alter
Praemia solliciti justa laboris habet.
Tum demum vero infelix superatur amator,
Quum similis victae praeda supina jacet [1].

In illa enim omnes dicendi virtutes vel potius omnia vitia Bezae invenimus; subtilis est et tenuis et facetus; litterarum mutationibus et ambiguitate verborum gaudet; quaedam puerilia aut futilia reprehendi possint. — Denique ea carmina poetae sunt qui multo minus natura quam arte, immo artificio valeat dicendique genus exquisitum ac reconditum potius quam simplex ac rectum, tenue et subtile potius quam grave et solidum, maluerit atque sit persecutus.

In secundo genere ea epigrammata ponimus quae ad quaedam tempora aut quosdam Bezae aequales pertinent; quae quidem nos magis delectant quam illa de quibus modo diximus, quia in iis poeta nos, ut ita dicam, participes facit vitae publicae qualis tunc erat atque etiam vitae suae privatae. Itaque in his poematis inest quiddam minus fucatum sentimusque poetam ex his componendis quandam percepisse voluptatem quae ad nos quoque transmitteretur necesse erat.

Ante omnia nos memores esse decet Bezam scriptorem rerum non esse; annales enim vel historias scribere minime sibi proposuit; quotiescumque res evenerat digna quae narraretur, tum de ea carminis materiam sumpsit. Itaque non mirandum est quod poeta saepe veritatem falsis fictisque rebus obruit, aut certe alia majora laudando, alia minora vituperando praestitit, aut denique verbis nimiis vel figuris splendidioribus usus est. Parum

[1] *Cf.* Borbonium, I, 155, 156, 157.

enim historico digna videtur illa comparatio Francisci I et Caroli Quinti cum duobus solibus[1], regumque nimius laudator est Beza dum dicit Caroli Quinti praesentia caelum serenum fieri[2]. Eadem de iis quae sequuntur dici possunt. Atropos noluit Franciscum I occidi, nam secum una in inferos rex duxisset Martem et Minervam[3]. Henricus Valesius, natus parentibus abhinc decem annos matrimonio junctis, multo validior erit quam Hercules qui ortus sit Jove Alcmenem amplexo per noctem ter longius productam[1]. Omnia ista molestissime ferremus, si poetas Bezae aequales omnino similia scripsisse ignoraremus : res enim libenter dicendo augent.—Sed alia sunt epigrammata quae ut magis moderata sunt, sic meliora. Nam ex « Inauguratione Henrici II » bonum consilium, quod Henrico prodesse poterat, excerpere licet. Nonne in carmine, quod inscribitur « de Francisci et Caroli induciis », generose reges hortatur ut pacem feriant ? Item laudatio Francisci I sane probabilis est in epigrammate « de Franscisco Galliarum rege ». Quodsi in memoriam revocaveris qua aetate Beza haec poemata composuerit, haud aegre laudem quandam et gloriam adulescenti tribuas. Concedendum est igitur ut Beza gravis et severus interdum fuerit in iis quae grave et severum dicendi genus requirerent, ideoque quodam modo laudandus.

Epigrammata vero, quae ad poetae vitam privatam pertinent, jucundiora etiam sunt et gratiora, quia quiddam

[1] *De Geminis Solibus visis Lutetiae Parhisiorum, Anno 1539.*

[2] *Ad Carolum quintum, quum Lutetiam ingressurus esset.*

[3] *De Morbo Francisci Gallorum Regis saluteque mox illi reddita.*

[1] *Genethliacon Francisci Valesii, Henrici Valesii Galliarum olim Delphini, et illustrissimae Principis Catharinae Medices, filii.*— Multo minus servilem se praebuit in carmine quod inscribitur *Genethliacon Isabellae a Francia, Henrici Valesii Galliarum olim Delphini et illustrissimae Principis, Catharinae Medices, filiae.*

habent sincerius et vividius et magis poetae proprium. In quibus juventutem suam festive nobis narrat. Hic tandem quasdam dicendi virtutes invenias : acumine ingenii et luminibus sententiarum verborumque mire usus est. Lepide ad caenam amicum vocat in epistola « ad Fabullum[1] » ; nimia tamen sunt ornamenta et nimis acutae sententiae praecipueque in epistolae fine. Mittit pippiones ad Callartium simulque versus quos Martialis a se scriptos vellet[2]. Jucundus vere homo videtur Beza atque, quod melius est, vere amicus in epigrammatis quae « D. Quelino senatori[3] » et « ad Germanum Valentem[4] » inscribuntur. Sed nihil dulcius est quam « Xenium Truchio et Dampetro ».

Synceris mos est nunquam neglectus amicis,
Anni sub primos mittere dona dies.
Nempe quod ut veteris renovetur circulus anni,
Fas sit ut antiquus sic renovatur amor.
Ergo quum Bezam Truchius fateatur amicum,
Nec me Dampetrus deneget esse suum :
Non temere, priscos homines imitatus, utrique
Parva quidem mitto dona, sed apta tamen.
Ambo estis Vates, ambobus carmina dono,
Carmina quae nostri pignus amoris erunt.
Vos pridem syncerus amor conjunxit in unum,
Unum igitur decuit munus habere duos.

At illa simplicitas et illa elegantia, quae nos tantum oblectant, non saepenumero occurrunt, ac potius dicas

1 Si caenare voles, Fabulle, mecum
Audi quae tibi caena sit parata...
Sed scis qualia vina comparavi ?
Quae si non vocites Opimiana,
At certe Optimiana jure dicas.

Cf. Catullum «... Iam non Ionios esse, sed Hionios. »

2 En senos tibi mitto pippiones...

3 Seu Dea, seu Deus est, qui te tam laeta parantem...

4 Ergo Germani vultus violabit amaenos...

poetam illas virtutes graviter ferre minimique aestimare[1].

Quam multa parum liquida, parum mollia, aut potius putida in carmine « de amicitia cum Truchio inita » invenias!

Heu vos advoco, vos acres Sophistas
Fallaces querulosque homunciones,
Qui noctes teritis diesque totos
Quaerendo insidias locutionum.
Vos, inquam, advoco, vos acres Sophistas,
Qui posse hoc fieri simul negatis
Ut quis victitet in locis duobus.
Tandem vera loqui, o tenebriones,
Discite, et fieri videte posse,
Posse quod fieri simul negatis,
Quum sim unus, tamen in locis duobus
Vitam vivo simul, velutque nostra
In partes geminas secata mens est :
Apud me altera vivit, altera autem
Vivit in Truchio meo. Ergo nobis
Palmam ceditis, o tenebriones?

Epistola « ad Sodales, de Melchioris Volmarii praeceptoris charissimi adventu in Galliam » nos delectat et ad misericordiam quandam animum nostrum impellit; attamen cachinnos interdum movet, adeo parum convenit cum argumento genus dicendi. Discipuli erat studiosi et animi nobilis magnam gratiam Wolmario habere probamusque Bezam quod eum publice laudavit, sed, ut dicam quod sentio, nonne laudibus nimiis extollit magistrum, cum locet non inter deos solum, sed etiam supra deos? Probabiliora sunt ac prope perfecta quae carmina inscribuntur « ad Marianum » et « de Truchio et Valido[2] », quorum primum proferre nobis liceat.

[1] Vide epigramma *ad Chloridem, quum falso nuntiatum esset Macutum Pomponium in Alpibus occubuisse.* — Poema *in Nuptias Jani Garneri et Margaretae Uraniae* vehementer nos offendit et laedit cum in rebus veneriis diutius immoretur.

[2] Vos ego divini Manes appello Platonis...

Augustas, Mariane, deum venturus ad aras,
Nulla cremas magno thura Sabaea Jovi,
Nec capis externos cultum qui spargat odores,
Nec diti tractas aspera signa manu.
Gemmatae nunquam sudas sub pondere vestis,
Nec digitos onerat res peregrina tuos.
Sed placidam et nullo pollutam crimine mentem,
Atque sua notas a pietate manus.
Caeteraque integros domini testantia mores,
Haec, inquam, magis das Mariane deis.
Quod si rara solent merito pretiosa videri,
Nemo dedit, nemo plus, Mariane, dabit.

Ne plura, in secundo genere epigrammatum universo, easdem virtutes invenimus et eadem vitia quae saepe jam supra demonstravimus.

Nunc de tertio genere, quod quidem secundo proximum est idque ex epigrammatis satiricis constat, disserendum est. Multa ea sunt ac plerumque ita acuta ut ejusmodi esse videantur qui proprius est gallicis epigrammatum scriptoribus [1].

Beza igitur, cum adulescentulus juri discendo operam daret, pecuniam, ut ex tribus epigrammatis suspicari licet, mutuam dedit quibusdam condiscipulis natura obliviosis aut certe negligentibus. Poeta quidem eos ultus est epigrammatis quae potius jocosa sunt et maligna quam aspera et amara. Condiscipulos enim suos ridet aut facetiis insectatur, at nunquam eos offendit aut laedit, ut e carminibus « in Asinium », « in Posthumum [2] », « in Bergedum [3] » perspici potest ; quorum lepidissimum proferamus.

[1] « Il aimait ces jeux, et s'y distinguait par son adresse inventive à jouer sur le mot et à trouver ces rapprochements quelquefois puérils, qui font toute la pensée de ces petites compositions, fort goûtées au XVIe siècle. » Sayous, I, 297.

[2] Saepe quidem verbo solvis, re Posthume nnnquam.
Quod toties solvis, jam rogo, solve semel.

[3] Audes, (ô facinus) censoris sumere normam...

Seu domi mihi, seu foris repertus,
Promissi et fidei datae, admoneris,
Tu contra velut admodum occupatus,
Has facis nihili petitiones,
Sed horam tamen inquis adfuturam,
Qua me ex paupere divitem et beatum
Reddas. En igitur tibi ipse dono
Horas quod tibi nuntiabit omnes.
Tandem nunc, Asini, potes jubere
Haec ut hora sonet diu expetita.

Item sine ulla dubitatione parasitos quosdam cognoverat ventri et gulae deditos qui paterentur libenter se ad caenam aliquo vocari, iidem jejuni sobrietatem laudarent, in vino diversam opinionem proferrent. Testes sunt illae duae acutae facetiae « in Lupum[1] » et « in Paulinum[2] ». — Beza, ut multis adulescentibus est mos, interdum mores hominum regere vult et praecepta ad bene beateque vivendum nobis tradit; mirari etiam facile solet, ut patet e carminibus « in Caecilium[3] » et « in Bergedum[4] ». At quaedam epigrammata, quod paulo acutiora sunt et tristiora, nos magis juvant ac delectant. Nam haud ignoramus Bezam minime juris scientiae studiosum fuisse atque ob eam causam discordias exstitisse inter eum et patrem : harum molestiarum suarum nos participes fecit in epigrammate « in Fori mancipia ». Ante oculos habuit homines et stultos et ineptos et deridendos ; cum autem jocosum ingenium et mordax haberet, eos lusit, ut comprobare licet ex carmini-

[1] Jejenus sobrium mihi Platonem...

[2] Paulino quoties condixi, Testile, caenam,
Nunquam, quum taceat caetera turba, tacet,
Nec nisi depositis dapibusque meroque, quiescit.
Ergo satur, dices, non abit : immo venit.

[3] Quandocumque sibi parare amicos...

[4] Audes (ô facinus) censuris sumere normam...

bus « in quendam asinorum encomiasten[1] », « in Sextum[2] », « in Philaenum[3] », « in Daedalum[4] ». Atque interdum etiam accidit ut acrius mordeat ; vide quae « in Philopatrum », « in Ollum[5] », « in Hubertum[6] » dixerit.

Sive Palatina Philopatrus inambulet hora,
Et fatuo incessu marmor utrumque terat :
Sive fames illum locupletum quaerere mensas,
Et procul e vacua jussit abire domo,
Seu jejunus est, seu pleno ventre facillet,
Seu lateat solus, seu comitatus eat,
Semper habet quiddam turpi quod garriat ore.
Quod merito possit carpere semper habet.
Semper hiat, semper colloque humerisque laborat,
Et simulat magnum voce manuque sophos.
Sed quum te audierint multi bene multa loquentem :
Nemo bene audivit te Philopatre loqui.

Sed hoc raro fit atque dummodo paululum eos pungat, nullam aliam ultionem requirere solet. Non enim illud « in Sapidum » malignius est dictum :

Dum sese egregium Sapidus putat esse poetam,
Desipit, et Sapido nil magis insipidum.

Sed ante omnia multis salibus facetiisque matrimonii

1 Dum laudas asinos, toties cur, Pontice, peccas ?
Nempe tibi ignotum γνῶθι σεαυτὸν erat.

2 Caecus es, et cunctos reprendis, Sexte, poetas.
Sanum reprensor debet habere caput.

3 Aurelias vocare vespas suevimus,
Ut dicere olim mos erat nasum Atticum :
At te Philaene, Aurelium vocabimus
Fucum, quod omnes adeo pungas frigide,
Aculeum ut interim relinquas nemini.

De eodem Philaeno, *cf. ibid*, p. 74. « Erasmus ille quo fatentur plurimi... »

4 Seu te seria, seu joci morantur...

5 Quanvis illa mihi forensis esset...

6 Norunt Hubertum ganeones prodigi...

institutionem persecutus est, ac saepe verbis parum honestis[1]. Immo in duobus epigrammatis quaedam insunt quae vix tolerari possint[2]. De obscenis autem, quae perpauca sunt, non operae esse pretium dicere mihi videtur.

Quartum est genus epigrammatum quae ad litteras pertinent eaque pluribus virtutibus digna sunt quibus aliquod studium impertiamus. Non quidem ex eis plane perspicere licet quae qualesque de poesi et arte fuerint Bezae opiniones, attamen nos ideo alliciunt quod Beza et mediocres poetas aetatis suae multo sale defricuit et alios quosdam laudavit, praesertim cum hae laudationes vituperationesque nobis declarent quomodo poetae hujus temporis inter se laudarent aut vituperarent. Nullum enim modum adhibebant : aliquem prout libido erat aut usque ad caelum summis laudibus extollebant aut maledictis contumeliisque obruebant.

Quae erat aequalium consuetudo — quique jam apud antiquos mos viguerat, Beza ceteris praeponit duo epigrammata[3] quibus lectores alloquitur. Primo epigrammate eos monet ut de libello judicium faciant non versuum numero sed pondere. Dat igitur sibi laudem, sed extemplo quae dixit retractat.

Nam altero epigrammate fatetur libellum suum esse mediocrem minimeque dignum qui legatur. Praeterea, ut obliviscamur laudum quibus nimis superbe se extulerat, fingit se probe scire Validum eam opinionem non proferre quidem, sed infixam animo habere ut nunquam legerit tam insipidum poetam[4]. Quae omnia animum candore et simpli-

[1] « In Claudium » ; « in Thaida caecam et Ponticum claudum » ; « in quendam ad Posthumum » ; « in Spurinnam. »

[2] *Ponticus Cornelio de uxore non ducenda* et *Cornelius Pontico de uxore ducenda.*

[3] *Ad Lectorem; ad eundem.*

[4] An est credibile hunc meum libellum...

citate insignem indicant, quod poetarum etiam admodum adulescentium maxime proprium est. Modo sperat, modo timet; non multo firmior securiorque esse videtur cum jam usque ad medium librum progressus est.

Brevem, Zoile, dicis hunc libellum :
O si possit idem omnibus videri!

Vide etiam quo ardore quaque humilitate amicos suos[1] obsecret! Eis dat potestatem corrigendi et emendandi et delendi omnes locos quibus in libello non delectentur; lituris eorum et emendationibus meliorem futurum esse librum atque tandem fortasse ad perfectionem esse venturum. Ex eis intellegere possumus quibus curis agitatus esset Beza cum libellum suum ederet.

Consentaneum est qui sibi versibusque suis non pepercerit, eum minus etiam operibus aequalium pepercisse. Quorumdam enim vitia ridet cum facete tum acriter:

Nil non egregie facit Philaenus,
Tersus, integer, elegans Philaenus.
Testem si petis, en tibi, Philaeno
Teste, haec omnia perficit Philaenus:

Philopatrum inclementius insectatur:

Damnabis fateor nostris Philopatre libellos,
Et tibi non lectum despicietur opus.
Qui tum? si nostros carpas Philopatre libellos,
Debebunt tanto nostra placere magis.

Jam epigramma « in Sapidum » protulimus. Concludere igitur possumus Bezae certe non acumen ingenii defuisse inimicisque suis eum saepe fuisse mordacem et acerbum.

In laudando vero multo magis est immodicus. Virtutes enim omnium quoscumque laudat adeo augentur ut semper praestantissimae et incredibiles nobis esse videantur.

[1] *Ad Amicos*: « Hunc quanquam illepidum et malum libellum...»

Attamen si sextidecimi saeculi hominum mores in memoriam revocaveris, facile ei veniam concedas; immo mirum est Bezam non magis eximiis extulisse Rabelaesum[1] et Marotum[2], qui quidem longe clarissimi fuerunt omnium quos laudavit. Atque illud eo notabilius est quod alii scriptores quorum opera non legimus, idque merito, maximis et amplissimis praeconiis cumulantur. J. Secundus fuit poeta sane probabilis et ingenio vivido ardentique praeditus ; ejus *Basia* amorem verum redolent; mirari tamen non possumus quod Beza eum et Virgilio et Pindaro et Ovidio et Martiali anteposuit ; quin etiam, ut hi singuli prae illo parvi sunt momenti, ita ne universi quidem eum compensare possunt[3]. Aldus Manutius etiam pluribus laudibus, si fieri potest, extollitur[4]. Poetae enim, quamvis maximi, nihil aliud sunt nisi poetae; Aldus vero — ut quidem fert Bezae opinio — deus est, quippe qui dum typis opera poetarum mandat eis tanquam immortalitatem condonet. Hic agnoscimus subtile et acutum ingenium quod jam in quibusdam epitaphiis animadvertimus. Denique Wolmarius, aestimatione Bezae, collocatur supra Homerum, immo supra deos : ii enim Homerum caecum effecerant, Wolmarius autem commentario Homeri carminibus addito effecit ut poeta rursus clarissime videret[5]. Ea profecto minime salsa sunt et lepida, quae tamen risum moveant, non indignationem.

In eorumdem epigrammatum genere ponere nobis

1 Qui sic nugatur, tractantem ut seria vincat,
Seria quum faciet, dic, rogo, quantus erit ?

2 Tam docte Venerem divinus pinxit Apelles...

3 Excelsum seu condit opus...

4 *De Aldo Manutiorum omnium quidem authorum, praecipue vero poetarum excellentissimo Typographo.*

5 *De Commentariis D. Melchioris Volmarii, praeceptoris charissimi, in Homeri poesim.*

liceat duo alia epigrammata. Unum paulum putidum est et exquisitum, jucundum tamen, in quo ludit poeta irridetque antiquorum mores quorum se sectatorem esse fingit, epigramma dico « ad Musas ». Se enim simulat immolantem Musis tineam quae poetarum libros devoret.

Accede o tinea, illa quae pusillo
Ventrem corpore tam geris voracem,
Tene Pieridum aggredi ministros?
Tene arrodere tam sacros labores?
Nec factum mihi denega : ecce furti
Tui exempla, tuae et voracitatis.
Tu fere mihi passerem Catulli,
Tu fere mihi Lesbiam abstulisti.
Nunc certe meus ille Martialis
Ima ad viscera rosus usque languet.....
Age, istum jugulo tuo mucronem
Cruenta excipe et istum et istum et istum.....

Multa in hoc carmine placent ; quamvis in universum ridicula sit imitatio, tamen interdum venerationem quandam antiquorum sacrorum nobis praestare videtur. — Alterum epigramma melius est, quod « ad Bibliothecam » inscribitur. Bibliothecam suam salutat poeta recognoscitque omnes scriptores quos carissimos habet.

Salvete incolumes mei libelli,
Meae deliciae, meae salutes,
Salve mi Cicero, Catulle salve,
Salve mi Maro.....

Hic animadvertimus quo gaudio perfusi sint viri studiorum amantissimi cum libros suos studiorum instrumenta revisunt. Antiquitatis enim caritate Beza non minus inflammatus est quam qui maxime; atque rursus quantopere a jure civili abhorruerit hoc carmen indicat. Hujus unius epigrammatis gratia Bezae multa inquinate scripta condonare possumus. Attamen notandum est in

omni illa enumeratione non inesse certum lucidumque ordinem, immo quandam inesse confusionem. Etenim in uno eodemque versu Sophoclem et Isocratem, in alio Maronem simul ac Plinium utrumque nominat, qui profecto tam dissimili ingenio fuerunt ut Bezam oportuisset eos quodam discrimine sejungere. — Sed de epigrammatis quae ad litteras pertinent hactenus. Nunc ad amatoria venimus quae tantarum molestiarum, ut supra demonstravimus, poetae causae fuerunt.

In illis, quanquam majore amoris flamma incensus esse videtur quam in elegiis, tamen saepius frigidus est, ut plerumque in omni libro solet. Cujus vitii exemplum hoc epigramma proferri potest « ad Candidam » :

Es quoties vicina mihi, tunc aestuo totus,
Ut cum sulphureis ignibus Ætna fremit.
A te discessi quoties, tunc frigeo totus,
Ut quum Caucaseus sub nive anhelat apex.
Ergo fas alium te, Candida, dicere solem,
Utpote quae facias aestum hyememque mihi[1].

[1] O! igitur glacies quovis ardentior igne!
O! ignis quavis frigidior glacie,
Aut ne me perdant tua frigora, mitius ure :
Aut ne flamma, gelu projice, Diva, tuum. (Muret, *Eleg.* IX.) Item, ex Borbonii *Nugis* (I, 152).

Quaeris aquas, virgo? Duo sunt mea lumina fontes;
Ex quibus (oro) vide flamina quanta fluant.
Quod si ignem quaeris, mea sunt praecordia flammae
Sic, ut aqua in me ignem suscites, ignis aquam.

Vide etiam apud eundem, I, 229; et II, carm. LXXIV et LXXV.

Ad puellam nomine Candidam, nive lusitantem.
Candida candenti gestis nive ludere, virgo,
Nunc, quando extinctis floribus, horret hyems.
Ast inter digitos tibi nix perit atque liquescit :
Sic pereunt homines, quos tua forma coquit.

Ad eamdem, è Graeco Πολιτῖανοῦ.
Pallentem violam mittis, palloris abundè
Est mihi, se cujus sanguine pascit Amor.

Quaedam alia arcessita sunt et exquisita [1]. Nonnunquam tamen amor et libido genere dicendi vero et sincero exprimuntur interdumque liberius. Horum epigrammatum multa jucunditatis et venustatis plena sunt, nec nimis antiquitatem redolent. Tenerum quiddam inest et suave in hac somnii descriptione :

Defessus medio thoro jacebam,
Et sommo grave jam caput cadebat,
Sui Candida quum miserta Bezae,
Praesens est mihi visa dormienti.....

Item nescio an in hoc « Xenio » nihil reprehendi possit :

Vestes divitiis graves et arte,
Aptandumque tuo monile collo,
Aut quos India mittit uniones
Iani nec queo nec volo Calendis
Ad te mittere, Candida, una Bezae
Dilectissima Candida. At quid ergo?
Ipsam nempe animam tibi dicatam,
Amorisque tui ignibus perustam,
Quae pridem tua sit licet, suamque
Te pridem dominam vocetque ametque,
Se rursus tibi datque dedicatque,
Inclusa his numeris Phaleuciorum.
Quod si munera raritate censes,
O Dii quam tibi grande mitto munus!

Pleniorem etiam laudem fortasse meretur epigramma aliud, quia tristitiam quandam sollicitudinemque exhibet quae in Bezae poematis raro invenias :

Quum nos Candida mutuis favillis,
Communique velut calore cocti,
Vitam una peragamus innocentem,

[1] *Ad Candidam*, « Quum te nunc dicat populosa Lutetia civem... » atque *ad Eandem*, « Attonitos inter populos... »

Ut cum turture turturilla casto,
Quî fit innocuus ut hos amores
Tot doli exagitant calumniarum ?
Haec est scilicet omnibus statuta
Lex mortalibus, ut perenne nil sit
Quod gratum : et vicibus suis recurrant
Voluptasque dolorque, pax et ira.
Ergo haec, Candida, fortiter feramus,
Nos, inquam, quibus haec statuta lex est.
Ille autem Deus, ille qui favillas
Nostro in pectore primus excitavit,
Nec perire potest, nec hos fovere
Ullo tempore desinet calores.
Premetur, scio, flamma nostra. Quid tum?
Tanto fervidior futurus ignis.

Quod « in Basium Candidae[1] » inscribitur carmen non mediocre est, atque non multum abest ut omnino perfectum absolutumque sit hoc epigramma :

Ex quo disjuncti, mea Candida, viximus ambo,
Nec tua luminibus sidera visa meis,
Hora diem, mensemque dies, annumque moratus
Mensis, jam canos pene dedere mihi.
At simulac nobis iterum reddemur uterque,
Teque mea potiar, meque fruere tuo :
Hora die, Lunaque dies numerabitur una,
Quique aliis annus, vix mihi mensis erit.
Sic tempus praerepta mihi mea tempora reddat,
Haec eadem ut reddam, Candida chara, tibi.

Haec sunt in quarto genere carmina quae omnium maxime nos delectent; in iis enim motus animi, quos revera expertus est, expressit poeta.— Sunt alia jocosa et exprimendae voluptati dicata, ex quibus praesertim proferemus « ad fibulam Candidae » :

Quaeso fibula illa, fibula illa.....

[1] Vos teneri rores calathos quibus aurea gaudet...

et « ad Candidam » :

Ergo desinitis micare ocelli[1]?.....

et « ad pedem Candidae » :

O pes, quem geminae premunt columnae[2].....

Sed duo extrema nimis longe producta sunt neque mendis vitiisque carent.

Ex omnibus quae diximus nunc manifestum apparet Bezam in Epigrammatis proprio ingenio peculiarique quodam modo esse usum. Non quod pleraque carmina, uno aut altero exceptis, ex omni parte sint perfecta, attamen dicendi virtutes invenias plures clarioresque quam in ceteris generibus ; ideo ad perfectionem propius accessit Beza quod sincerior et verior erat. Ceterum erat difficile

[1] *Cf.* apud J. Bonefonium *(Basia)* quae epigrammata inscribuntur « ad acum, ad catellum Pancharidis suae, ad dentes quibus inter osculandum papillas Dominae laeserat » et illa in quibus « exoptat se florem illum esse quo uteretur amica » aut « petit a Cupidine ut finem basiis imponat » aut « comparat malum suum Venereum cum malo Promethei, Tityi, Sisyphi, etc. » aut « queritur de Pancharide, quod illa sit saevior maligniorque tonitru et fulmine », etc., etc.

[2] Muretus frigidior etiam fuit et stultior.

Nox furva, atque aliis horrenda nigrantibus, et vos
    Fixa meae vultu saepius astra Deae,
Audite haec : tu primum Erebi centumplicis uxor
    Quae veniens uno cuncta colore notas,
Non pudor est, ubi flammeolo te Margaris ore
    Pellit, et invitum cogit adesse diem?
Vos quoque lucentes Æthrae radiantis ocelli,
    Quorum alta assiduo templa canore sonant,
Non pudor est, oculis ubi scintillantibus illa
    Cedere tot vestras lampadas una jubet?
Et tu Dardanii conjux formosa mariti,
    Tangere sol cujus nil nisi terga potest,
Nunquid ubi aspexti quàm te procul illa relinquat,
    Nativus roseo crescit in ore rubor?
Non, puto : quin illi ultro omnes conceditis, in qua
    Miratur vires Jupiter ipse suas. (Muret, *Epigr.)*

poetae admodum juveni aliquid politius exquisitiusque praestare carminibus illis quorum lectio nunquam molesta est neque fastidiosa, sed contra interdum jucunda et grata, quod judicium neque de Sylvis, neque de Elegiis, neque de Epitaphiis facere potuimus.

CONCLUSIO

Quoniam de singulis carminum generibus, quae Beza tractavit, adhuc verba fecimus, nunc in universum de poematis illis nobis judicium faciendum est paucisque id concludendum quodcumque nostra disputatione consecuti sumus.

Primum igitur apparet poetam nostrum nequaquam verum genuinumque fuisse poetam, si quidem tanti nominis honore non dignus est quisquis versus scribere potest, sed is tantummodo qui habet ingenium et mentem diviniorem. Instinctu naturae carmina componunt ejusmodi homines atque eadem singulari benevolentia eis sententias et orationem suppeditat, quales vulgus frustra requirat. Quorum in numerum aggregandum esse Bezam nemo, opinor, asseverabit. Facultate enim praeditus est non eximia, immo fere nulla. Versus plerumque scribit neque verbis neque rebus insignes; scribit autem non mentis illius divinioris vi subactus, neque, ut ita dicam, invitus imperante musa, sed placidus et sui compos et voluntate atque cogitatione adductus. Quo fit ut fere omnia quae edidit — exceptis quibusdam epigrammatis — frigeant, quod saepenumero in singulis vituperavimus, et intra vulgaris mediocritatis terminos contineantur.

Adde quod vere juvenilia sunt ea poemata et adulescentuli manum ubique indicant vixdum ex magistrorum disciplina atque scholarum quasi claustris in liberiora vitae spatia elapsi, cui neque animus firmus maturusque sit neque rerum hominumque peritia neque propriae cogitationes opinionesque ex usu et meditatione depromptae, neque praecipue in scribendo illa solertia atque industria quam qui jam multa scripserunt possident eaque freti ingenii inopiam quodammodo dissimulant. Cum naturae benignioris donis, tum longioris aetatis opibus destitutus Beza ad poemata componenda progressus est.

Poeticis virtutibus parcissime ornatum, rudem Musarum militiae tironem quid necesse erat facere? Thesaurum, qui unus ei praesto erat, sine ulla et dubitatione et moderatione compilare, libros dico antiquorum poetarum, in primis latinorum, exemplaria quae plures per annos adsidua manu versaverat atque ea illis temporibus pulcherrima et perfectissima et omni admiratione digna existimabantur. Antiquos igitur imitatus est Beza ; ex antiquorum imitatione maximam partem constant Bezae poemata ; ab antiquis sumpsit et genera et argumenta multa et explicationes totas locosque communes et stilum et numeros modosque. Quia elegias apud latinos Catullus, Propertius, Tibullus, Ovidius ediderant, Elegias edidit Beza ; Sylvarum exemplum Statius ei praestitit, Epigrammatum Martialis. Unum genus est epitaphiorum quod aequalibus suis debuerit. — Ab antiquis quoque multa argumentorum sumpsit : in *Sylvis* « devotionem » Decii atque « mortem » Ciceronis ; in *Elegiis* somnium, quo Candida perire ei videtur, vel potius quidquid de amoris tormentis expressit ; denique ad Martialem epigrammata quaedam referri possunt. —

Sed in eo multo etiam diligentior fuit antiquorum assectator et discipulus, quod ab illis totam explicandi rationem mutuatus est. Ne iterum dicamus quae jam antea fusius explicavimus, haec ratio praecipue orationibus et descriptionibus constat. Etenim, cum personas non inducit loquentes, describit poeta, atque rursus, quotiescumque a descriptionibus deflectit, ad orationes regreditur. Decius, Cicero et Jupiter in *Sylvis* non minorem praestant loquendi facultatem quam heroes epici vel tragici ; et vehementius jam notavimus quam sint longae ac putidae omnes istae descriptiones et amoris et armorum amoris et illius navis, quam tam eleganter Beza simulavit proprium suum esse animum ab amore jactatum. — Item magis etiam consentaneum est nostrum poetam genus antiquorum dicendi imitatum esse, qui eodem sermone uteretur. Sed in hoc peccavit quod non satis curam diligentem anxiamque religionem adhibuit in eis eligendis quorum genus dicendi sequeretur. Nam saepe perfectissima latinitatis exempla sibi non proposuit ; immo, non linguam aetatis cujusdam certae, sed variorum temporum, Ciceronis dico et Livii, Virgilii et Martialis, in sua poemata traduxit, ita ut libenter ea vermiculato emblemati conferas, in quo unus et alter splendeat pannus, neque in eo insit unus et idem, sincerus et verus color [1]. — Quod ad numeros modosque spectat, eadem animadvertenda sunt. Sylvae hexametris versibus scriptae sunt neque illam felicem varietatem libertatemque Statii effingunt. In elegiis adhibitum est illud legitimum omnibusque poetis usurpatum quod constat ex hexametri et pentametri dactylicorum conjunctione. — In Epitaphiis

[1] *Sylvae*, I, 10, 9; IV, 29; *Eleg.*, I, 16, 36, 43, etc., etc.

et Epigrammatis variis versibus usus est Beza, praecipue hendecasyllabis phalaeciis et elegis. Sed inveniuntur et iambi senarii[1] et iambi senarii[2] scazontes et hexametrus dactylicus cum quaternario iambico conjunctus[3]. Qua prosodia usi sunt latini poetae, primo post natum Christum saeculo, a Virgilio ad Martialem, Beza ipse usus est, sed interdum in ea peccavit; quasdam enim syllabas producit quae breves sunt, alias corripit quae longae sunt[4]. — Ex quo efficitur ut, cum Bezae carmina legimus, notissima litterarum latinarum ingenia, quae in eisdem poeticis generibus floruerunt, quodam modo recognoscamus, requiramus autem ac desideremus Bezam. Neque tamen antiquos immodice imitando id consecutus est noster ut eorum omnes virtutes in se transferret, vitia — occurrebant enim quaedam etiam apud optimos — effugeret, immo et vitia usurpavit et saepius pro virtutibus vitia contraria exhibuit. Quiquid enim inest in Ovidii, Statii, Martialis carminibus, ineptiarum aut putidarum sententiarum, quascumque illi in se admiserunt aut ambiguitates verborum aut jocos illepidos aut ridiculos calamistros, ne plura, quaecumque ornamenta et nimia et insulsa et nimis exquisita ambitiose consectati sunt, ea omnia — quae venustissimus et doctissimus quisque aegerrime ferat necesse est—

[1] In Philenem, in Hubertum, in Aubertum, in Philenum, in Poardum, in Ligurinum.

[2] *Epitaph.* G. Langaei. — *Epigr.* : ad eundem (lectorem)

[3] Epitaph. Francisci Valesii; in J. Secundum; Genethliacon Isabellae; in basium Candidae.

[4] Sŏbrius pro sōbrius ; Thētide pro Thĕtide.

Non varia est compositio versuum. Sic in Sylva I quae septem et quadraginta versus continet, septem versus concluduntur eodem verbo, quod est *Latinus.* —Item quam mediocriter versus caedit et quam dure vocales conjungit ! *Cf.* in prima Sylva, 3, 6, 12, 26, 27, 43, 45 ; — 3, 6, 12, 26...

Beza incredibili quadam diligentia summaque voluptate in sua propria transtulit et sui juris fecit[1]. Praeterea — quod non minus reprehendendum est vitium — latinos poetas quos nominavimus interdum rhetoricae et arti declamatoriae nimis deditos fuisse constat; Beza autem non solum illud vitium non detestatus est, sed etiam singulari cura excoluit, ut ex quibusdam Sylvarum et Elegiarum locis clarissime patet. Quam multae enim et, ut ita dicam, longius ac sine fine productae amplificationes explicationesque reperiuntur, quibus enervetur carmen et ingravescat! Optima et admirabilis et magnis tantum ingeniis concessa est ea imitatio, quae quidquid aliunde sumpsit in melius immutat et, ut aiunt, aes accipit, aurum reddit; bona et probabilis ea quae, quanquam exemplarium laudes non omnes neque semper adaequat, interdum tamen non infeliciter aemulatur, nunquam turpiter inquinat. Harum neutram praestant Bezae carmina. Sed servili et spernendo imitatorum gregi adnumerandus est, qui nihil vel pauca admodum de se praebent, alienorum operum pulchritudinem extenuatam, deformatam, vitiatam repraesentant.

Hactenus qualia per se essent poemata declaravimus et quanti aestimanda. Videamus nunc quemnam locum obtineat noster inter aequales, qui permulti carminibus latinis operam dederunt per otium. Exceptis illis qui jam ab hac aetate nullam obtinuerunt notitiam et inter obscuros manserunt obscurissimi, quales fuerunt *Guillaume des Autels*, Bonefonius aliique multi, nullus est fere, ex eis qui diversis virtutibus quandam gloriam apud posteros sunt consecuti, quem longe praestare Bezae non fortiter affir-

[1] Sylvae I, 11, 13; II, 46, 70; III, 9, 30, 41, 48, etc., etc.

maveris. Quamvis non sit hujus propositi eam explicationem comparationemque fusius producere, tamen adumbrare et inchoare liceat. Permulta nimirum in Vulteii, J. Secundi, N. Borbonii atque ipsius Mureti carminibus — ne plures afferam testes — inveniuntur, quae emendare aut etiam omnino delere velles : attamen quot et quantae facultates, cum praeclarae, tum variae, in eis elucent! Quae Vulteii facilitas et ubertas verborumque ingenua felicitas! Quis unquam inter hujus aetatis poetas, non latinos dico solum, sed etiam gallicos, illam vehementiam et sinceritatem, illum fervorem et quasi aestum J. Secundi praestitit? Cujusnam poemata exstiterunt quae, sicut illius admirabilia *Basia*, quandam febrem verorum basiorum etiam nunc retinere videantur? Mureti quoque carmina, quae quantopere sint putida et frigida exprimere difficile est, non multum abest quin ad perfectionem accesserint flumine quidem orationis et festivitate elegantiaque pura verborum. N. Borbonium aliae laudes commendant, sed non minus egregiae; illi ingenium facile fuit et gratum, nunc vehemens et incitatum, nunc dulce et remissum, quod vere poetam indicaret. Bezam autem omnibus illis non tantummodo secundum, sed etiam proximum fuisse satis superque demonstravimus.

Denique explananda esse res videtur, quae mihi *Poemata* Bezae iterum atque iterum legenti adsiduo obversata est, nempe quantum intersit inter jocorum illorum putidam atque inanem levitatem et Bezae morum indolisque, qualis nobis in historia apparet, severam ac tristem etiam gravitatem. Quae differentia tanta est tamque inopinata ut in animum saepe occurrat duos Bezas exstitisse, unum qui licentioribus vel obscenis etiam versibus *Juvenilia* scrip-

serit, amatorem Candidae et cantorem, omnibus voluptatibus deditum atque ad id unum accerrime intendentem ut ingenio suo indulgeret quam maxime; alterum, austerum et rigidum, gravioribus severioribusque curis intentum, totum in constituenda reformata religione occupatum admodumque dignum quem successorem Calvinus elegerit. Ne plura, juvenilibus atque etiam puerilibus jocis et oblectationibus indulsisse nos certiores faciunt *Poemata* Bezam, quem natum esse quodammodo senem libenter credat, si quis ea tantum, quae vel dixit vel scripsit vel egit in matura aetate, noverit.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. X Kal. Apr.
ann. MDCCCXCVIII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX NOMINUM LATINORUM

QUAE SUNT IN BEZAE POEMATIS[1]

I

[1] Primo nomina ordinavi, quaecumque latine homines designant, quorum gallica nomina nota sunt; — deinde ea quae sunt hominum aliunde mihi quidem ignotorum.

II

CONSPECTUS METRORUM

A BEZA ADHIBITORUM

I. **Hexametri.**

Silvae quatuor.

Epitaphium Simonis Grinaei.

II. **Elegi.**

Elegiae duodecim.
Epitaphium D. P. Stellae.
— D. J. Valentis.
— Gulielmi Budaei (graecum).
— ejusdem (latinum).
— ejusdem (latinum).
— Nicolai Bezae.
— Eobani Hessi.
— In Ceratinum.
— Jacobi Belnensis.
— Francisci Borbonii.
— Francisci Valesii.
— Caroli Valesii.
— in mortem Francisci I.
Icones omnes praeter T. Livii.
Epigramma ad lectorem.
— de Geminis solibus.
— in Claudium.
— de Commentariis Volmarii.
— in quendam asinorum encomiasten.
— in Amorem.
— de Venere marmorea.
— ad Carolum quintum.
— in Sapidum.
— de Theocreni libello
— in L. Junii Columellae libros.
— in Sextum.
— in Thaida caecam.
— de Francisco Rabelaeso.
— de Helionora regina.
— de Francisci et Caroli induciis.
— de morbo Francisci I.

Epigr. ad Cl. Marotum.
— Xenium Truchio et Dampetro.
— Descriptio virtutis.
— ad Marianum.
— in Erasmi imaginem.
— in Philopatrum.
— in eumdem.
— de Truchio et Valido.
— Genethliacon Francisci Val.
— de felici inaugur. Henrici II.
— D. Quelino.
— de victoria....
— ad Germanum Valentem.
— de pace inter Franciscum... et Carolum quintum.
— in Paulinum.
— in Posthumum.
— in Bergedum.
— ad Janum.
— de Francisco I.
— ad Candidam.
— de eadem.
— ad quandam.
— in aulam.
— ad Candid... convalescentem.
— ad Candidam.
— ad eandem.
— ad eandem.
— ad eandem.
— ad Sequanam de eadem.
— ad eandem Candidam.
— in A. Tiraquellum.
— Ponticus Cornelio.
— Cornelius Pontico.

Epigramma de Phillide et Damone.
— In Italiam.
Epigramma. — Comp. Amantis cum Venatore.

III. Disticha ex hexametro dactylico et quaternario iambico constantia.

Epitaphium Francisci Valesii I.
Epigramma de Joanne Secundo.
Epigr. — Geneth. Isabellae a Fr.
— In basium Candidae.

IV. — Hendecasyllabi phalaecii.

Epitaphium advocati cujusdam.
— Catharinae Texeae.
— Macuti Pomponii.
— Io. Quelini.
— Renati Gentilis.
— Stephani Doleti.
— Io. Dampetri.
Epigramma ad eundem (lectorem).
— ad Lodoicum Validum.
— de amicitia cum Truchio inita.
— in Philaenum.
— ad Bibliothecam.
— ad Sodales.
— de Aldo Manutio.
— de Candida.
— in Lupum.
— in Asinium.
— ad Candidam de ipsius facie.
— in fori mancipia.
— ad Musas.
— in Triputium.
— Xenium Candidae.
— in Ollum.
— ad Fabullum.
— ad Ponticum.
— in Caecilium.
— in Daedalum.
— ad amicos.
— in Philenem.
— de eadem (Candida).
— ad Chloridem.
— ad fibulam Candidae.
— ad Candidam.
— ad pedem Candidae.
— in Gelliam.
— ad Candidam.
— ad Gillium.
— in Spurinnam.
— Callartio.
— de sua in Cand...benevolentia.
— de coma Candidae.
— in nuptias Iani Garnerii.

V. Senarii.

Icon T. Livii.
Epigramma in Philaenum (alterum).
— in Hubertum.
Epigr. — In Philaenum (tertium).
— in Poardum.
— in Ligurinum.

VI. Scazontes.

Epitaphium Gulielmi Langaei.

VII. Quaternarius iambicus

Epitaphium Antonii Pratensis (uno versu scriptum).

INDEX RERUM

Lyon. — Imp. Pitrat Ainé, A. REY Succ., 4, rue Gentil. 7429

Lyon. — Imp. PITRAT AINÉ, A. REY Succ., 4, rue Gentil. — 17429